VALENTIS ACIDALI,

intercurrentibus &
M. ANT. MVRETI,

NOTÆ

IN C. CORN. TACITI
Opera quæ exstant.

Collectæ à

CHRISTIANO ACIDALIO
Fratre.

Cum INDICE *duplice, vno auctorum veterum, altero verborum & phrasium.*



HANOVIÆ
Typis Wechelianis, apud Claudium
Marnium & heredes Ioannis Aubrii.
ↀ Iↄ c VII.

Nobiliſsimis Viris,

DN. IOANNI A BREDOW, IN CREMMEN ET VELEFANTZ &c. hereditario;

DN. ALEXANDRO HAKE, IN MACHENOW ET BLANCKENFELDT &c. heredit.

Equitibus Marchicis, 3

Mæcenatibus ſuis obſeruandis.

PLVRES iam ſunt anni, Nobiliſſimi Viri, Mæcenates magni, ex quo in ære veſtro primum eſſe cœpi; neque pauciores verò, vt ſolutionem cogitaui, nec cogitaui tantum, ſed & aliquoties, quamuis fruſtra, tentaui. Obſtiterunt ſcilicet conatibus meis aduerſa ſemper neſcio quæ fata, quibus obluctari nullo modo licebat. Benigniorem illa verò vt induêre vultum, religio mihi plane fuit, quæ dudum ſoluta optaueram, diutius debere, vel ſaltem, debere me nō ſtatim teſtari. Et

verò summa illa vestrûm vtriusq; humanitas,(vt priuata alia merita omnia, magna sane & multa, silentio nunc prætercam,) in vestri me admirationem meritò rapuit & cultum, quem mirum quantum auxerit digna illa verâ nobilitate sententia, *Animam nempe Nobilitatis esse Humanitatem*: quâ tu te, BREDOVI, non iactas, sed quotidie probas; & tu, HAKIORVM DECVS, ALEXANDER, liquidò te tanquam in clarâ luce spectandum cuiuis offers. Gemina sane illa in vtroq; & gemina illa etiam Virtutis, Generis, & Eruditionis vera & solida decora, quæ sic ipsi inuicem ornatis, vt cui dubium videri possit, plus vos ab ipsis, an ipsa à vobis splẽdoris accipiant. Illud omnino omni prædicatione dignum, quod litteris dignam ita gratiam refertis, (quam multi tamen vestri ordinis pessimo & impio more sæpe referunt longè pessimam,) vt quarum beneficio inter ceteros eminetis, euectas & ipsas omni studio velitis. Quare & doctos inprimis, in quorum numero, quamuis certâ infimâ locandum, meum quoque pro-

profiteri nomen absque ambitione liceat, amatis, & qua potestis ope prouehitis. Quod factum à te, Nobilissime ALEXANDER, erga fratrem μακαρίτην largiter, publicè eius ad te, litteræ plurimæ produnt, & res ipsa tantum non clamat. Quo altero nomine & hęc ipsa tibi debentur; quem rogare tamen hîc debeo, vt, si quæ in editâ à me fraternarum epistolarum Centuriâ repereris, quæ vulgata nolis, comiter illa monstres, & si quid peccatum (quod non puto) solitâ tamē tua facilitate ignoscas & condones. Neq; tibi ideo minus, licet minus familiariter inuicem noueritis, Nobiliss. BREDOVI, debentur, qui eius quoque nomini fauisti semper, & fato præmaturo ingemuisti. Hoc igitur à me qualecunq; animi grati monumentum, eo, quo talia soletis, animo accipite, & patrocinio vestro recepta ne destituite. Censores quin agite in Censuras hasce acres. namque & hoc vobis, qui humaniores istas litteras non leuiter habuistis, facillimum. & si quas improbabitis, vt porrò hinc facessant, indicate. Tu Nobilissime

BREDOVI, cui quam seriò condoleam aliis litteris satis ostendi, in hoc tristi viduitatis tuæ otio Scriptorem hunc, quem maximi semper fecisti, age cum Notis hisce relege, & hinc vel delinimentum saltem quoddam doloris acerbissimi pete, animum à meditatione infortunii tui subinde deflectendo. Cui vt ne succumbas, & opem tibi & solatia à DEO ter Opt. Max. ex animo precor, vt & vtrinq; ab eodem ineuntem hunc annum cum perenni felicitate lætissimum voueo. Bene valete Germanæ Nobilitatis & Patriæ nostræ egregia lumina, & fauorem mihi vestrum porrò seruate. Altorfi Noricorum, Idibus Ianuar. CIↃ IↃCVII.

CHRISTIANVS ACIDALIVS.

VALENTIS ACIDALI NOTÆ.
IN C. CORNELII TACITI ANNALIVM
LIB. I.



Numerus Paginarum refertur ad editionem Lipsii quintam, ex officina Plantiniana Anno ƆIƆIƆ LXXXIX in fol. Capitum vero ad I. Gruteri editionem, & nouissimam Curtii Pichenæ.



PAG. 2. C. I. *Vrbem Romam à principio Reges habuêre*] Quinctilianus nõ dedignatus est monere, Liuium opus suum incepisse ab Hexametri exordio: *Facturusne opera pretium sim.* Tacitus noster incipit ab integro versu. 1

C. III. *Principes Iuuentutis appellari, destinare consules, specie recusantis flagrantissimè cupiuerat*] Melius patiendi formâ *destinari.* quâ & præcessit, *appellari.* Nec verò aliter res patitur. Forte etiam hoc ipso melius, quod Muret. voluisse videtur, *designari.* 2

C. IV. *Igitur verso ciuitatis statu, nihil vsquam prisci & integri moris: oës exuta æqualitate iussa Principis aspectare*] Illud *exuta æqualitate* nescio quomodo non concoquo. fortè, *Omnes exutâ æquè libertate.* qui error facilis, & in Tacito 3

ſolens,deperditis alibi atque alibi ſyllabis totis. Quid verò ſi hîc aliquæ etiam abundent? Non affirmem: ſed poterat commodè ſcribi, *Omnes exæquo iuſſa Principis* &c. Sed prius amplector, *Spectare* etiam malim quàm *aſpectare*. *Exuta libertas*, pulchra locutio, & ſanè ad rem vera. Præceſſit: *Inſurgere paulatim, munia Senatus, magiſtratuum, legum in ſe trahere, nullo aduerſante: cum ferociſſimi per acies, aut proſcriptione cecidiſſent: ceteri nobilium, quanto quis ſeruitio promptior, opibus & honoribus extollerentur.* Item pag. ſequente: *Ruere in ſeruitium Conſules, Equites.* Et ſæpius alibi. & III. Annal. Tiberius ipſe dixit quoties curiam egrederetur: O HOMINES AD SERVITVTEM PARATOS!

Videtur tamen auctor huic ſuæ emendationi parum confiſus, quia ex eodem III. Annal. aſ- ſcripſit iſta verba: *Erant plures Imperatores, nec ſuper ceterorum æqualitatem.*

4 *Poſtquam prouecta iam ſenectus, agro & corpore fatigabatur, aderatq; finis & ſpes noua: pauci bona libertatis incaſſum diſſerere, plures bellum pauescere, alii cupere*] Lipſius, *& agro corpore fatig.* Si & pro *etiam* capias, poſſis non inconcinnè ſublatâ diſtinctione cum præcedentib. verbis nectere, & totum ita ſcribere: *Nulla in præſens formidine, dum Auguſtus ætate validus ſeq; & domũ & pacem ſuſtentauit: poſtquam prouecta iam ſenectus agro & corpore fatigabatur* &c. Vt iungas, *ſenectus fatigabatur*. Eſt n. & viridis quędam ſenectus, quæ corporis ægritudine non

fati-

fatigatur. Sequentia nescio an potius: *Aderat quieti finis & spes noua. Pauci bona lib.* &c.

c.v. *Quippe rumor incesserat, paucos ante menses*] Noli mutare *ingesserat*, vel *ingens erat*. Illa Taciti phrasis lib. II. *Quod haud inuito imperatore ea fieri occultus rumor incedebat.* Lib. XI. *Nō rumor interea, sed vndiq; nuntii incedunt, qui gnara Claudio cuncta, & venire promtum vltioni afferrent.* 5

pag. 3. c. VI. *Ne cunctaretur Agrippam morte afficere, quandocunq; ipse supremum diem expleuisset*] Muretus notat, *quandoq;*. 6

Neq; mortem nepoti pro securitate priuigni illatam, credibile erat. propius vero Tiberium ac Liuiam, illum metu, hanc &c.] Demto apice scribe, *propius vero.* 7

c. VII. *Sex. Pomp. & Sex. Apuleius Coss. primi in verba Tiberii Cæsaris iurauere: apudq; eos Seius Strabo & C. Turranius: ille prætoriarū* &c.] Obserua rarum particulæ *Apud* vsum, pro *Post*, vel *Secūdum*, vel potius *Iuxta*. nam mutare *Sequuti eos*, vel *Coss.* vix audeam. 8

Ne edictum quidem, quo Patres in curiam vocabat, nisi Tribuniciæ potestatis præscriptione posuit sub Augusto accepta] Solentius & solennius esset, *proposuit*, atq; ita notauerat Mur. sed Tacitus simplex iterum maluit lib. IV. *Mox positis propalam libellis ad libertatem vocabat.* &c. 9

Neq; abscedere a corpore: idq; vnum ex publicis muneribus vsurpare] Quomodo non abscedere à defuncti principis corpore munus publicum? Lipsius explicare ita nititur: Visum ita 10

Tiberio loqui, ad honorem Augusti, quasi magistratuum præcipuè esset, & eorum qui Reip. primi, curare funus Semonis illius, & viri supra viros. Sed non satisfacit. Vix abest quin verba paucula absint, ad quæ referantur ista: *idq; vnũ ex publicis muneribus vsurpare*. Nisi tamen cum Mauro de Reip. corpore capiendum: quod Lipsius improbat. An Lipsii sententiam firmat Curtius? lib. x. *Meleagro deinde suadente ne a corpore Alexandri discederent, insidiis locũ quærirati, diuersa regiæ parte ad Euphratem fugam intendunt*. Et III. Ann. locus, in initio statim: *Neq; abscedentem à corpore simul vrbem intrauisse*.

11 pag. 4. c. IX. *Multa Antonio, vt interfectores Patris vlcisceretur, multa Lepido concessisse*] Mur. *Dum*. Nam aliis libris *Tunc*.

12 c. X. *Proscriptionem ciuium, diuisionem agrorum ne ipsis quidem, qui fecère, laudatas*] Mur. *cepère*. id esset Accepère. argutiori sententiâ.

13 *Sed quoniam arrogantiam sæuitiamq; eius introspexerit, comparatione deterrimâ sibi gloriam quæsiuisse*] Mur. *deterrimi*. Alterum æquè bonũ.

14 pag. 6. c. XIV. *Eademq; se temperantia vsurum in his quæ sibi tribuerentur*] Muretus, *In iis, quæ sibi*.

15 c. XVI. *Qui fine Augusti, & initiis Tiberii auditis, ob iustitium aut gaudium intermiserat solita munia*] Voces *aut gaudium* Mur. delet, neç video quid hîc faciant.

16 *Et delapsis melioribus deterrimum quemque congregare*] Lege *Dilapsis*. habet & Muretus.

17 pag. 7. c. XIX. *Et parum in tempore incipientes Prin-*

Principis curas onerari] Rectè. An tamen *incipientis* scripsit? Sic inferiore sanè ætate, *incipientem oriëtem* ve *principem* dixerunt. Paneg. pro Flauiensib. *Illa enim quæ te incipiente suscepta, omnibus populis iure communia.* Et initio Panegyr. Maximiano & Constantino, Constantinus *oriens imperator* dicitur.

c. XX. *Antiquam duramq. militiam reuocabat, inuictus operis ac laboris, & eò immitior quia tolerauerat*] Muret. probat *Immitis*, nec improbem ego, quia *immitior* sequitur. Lipsius, *Vetus*. Gulielmius alicubi, *Incus*. 18

c. XXII. *Cum osculis, cum lacrymis dolorem meum impleuero: me quoq. trucidari iube. dum interfectos nullum ob scelus, sed quia vtilitati legionum consulebamus, ii sepeliant*] Muret. *Hi*, & Lips. ad marginem. Distinctione iuuo sensum totius loci: *Me quoq. trucidari iube, dum interfectos, nullum ob scelus, sed quia vtilitati legionum consulebamus, hi sepeliant*. 19

pag. 8. c. XXIV. *Ælius Seianus, collega Straboni patri suo datus, magna apud Tiberium auctoritate, rector iuueni, & ceteris periculorum præmiorumq. ostentator*] *Ostentator?* non hoc voluisse videtur Tacitus, tanquam ipse ostentator, sed qui exemplum aliis esset periculorum ac præmiorum. Igitur legam, *Ostentatui*, vel *Ostentui*. phrasi Tacito familiarissimâ, vt & sequenti mox paginâ: *Corpora extra vallum abiecta ostentui.* 20

c. XXVII. *Vt quis prætorianorũ militum, amicorumve Cæsaris occurreret, manus intentantes*] Lego, *Occurrerat*. Etiam Muretus. 21

22 pag. 9. c. XXVIII. *Tarda sunt quæ in commune expostulantur: priuatam gratiam statim mereare, statim recipias*] Mur. *Postulantur*. & sanè melius. Vsitatum tamen illud Tacito lib. XV. Ann. *Ille Armeniam quoq; diuersis præsidiis vacuam fieri expostulabat*. Et lib. I. hist. *Mariũ Celsum ad supplicium expostulabant*. quomodo præcedit ibidem: *Libellos præmia exposcentium*.

23 pag. 10. c. XXXI. *Igitur audito fine Augusti, vernacula multitudo, nuper acto in vrbe delectu, lasciuiæ sueta, laborum intolerans, implere ceterorum rudes animos*] *Implere* non damno: sermonibus scilicet qui sequuntur. Valde tamen verisimile est *impellere* etiam hîc scriptum fuisse, vt superius: *Is imperitos animos, & quænam post Augustum militiæ conditio ambigentes, impellere paullatim nocturnis colloquiis*. Maximè quod ibi sic additum *imperitos animos*, vt hîc *rudes animos*. Et li. VI. *Quæ rudes animos, nomine honoris, ad corrumpendum militiæ morem propelleret*.

24 c. XXXII. *Quippe plurium vecordia constantiã exemerat*] Mur. *Exuerat*. Non assentior.

25 pag. 11. c. XXXV. *Quidam singuli propius incedentes*] Mur. *Accedentes*. Melius ad sententiam.

26 c. XXXVI. *Periculosa seueritas, flagitiosa largitio. seu nihil militi, seu omnia concederentur, in ancipiti Rep.*] Lego *Respubl.* nominandi casu, vt præcesserũt *seueritas, largitio*. Notauit & Mur. Sic l. IV. *irritas leges, Remp. in præcipiti cõquestus*.

27 pag. 12. c. XLI. *Non florentis Cæsaris, neq; suis in castris, sed velut in vrbe victæ facies gemitusq; ac planctus etiam militum aures oraq; aduertêre*]

Malim

Malim distinguere, *sed velut in vrbe victa facies:* (scilicet erat.) *gemitusq; ac planct.* &c. Notetur verbum *Aduertere* hoc eleganti significatu. sic lib. II. Ann. *Octo aquilæ petere siluas & intrare visæ Imperatorem aduertêre.* lib. IV. Ann. *Atq; illic eadem actitando, recētia veteraq; odia aduertit.* lib. VI. Ann. *Neq; exuerat pædorem, vt vulgū miseratione aduerteret.* Lipsius ad XII. lib. turpiter fallitur, qui illum ibi locum sic quoq; accipiendum putat: *Interim Zenobiam, placidâ illuuie, spirantem ac vitæ manifestam aduertêre pastores.* *Aduertêre* hîc nihil est aliud quam animaduerterunt. In hanc significationem scribendum fuerat, *Zenobia spiras ac vitæ manifesta aduertit pastores.* Plin. libr. I. Epist. X. sic etiam vtitur: *Multa in Euphrate sic eminent & elucent, vt mediocriter quoq; doctos aduertant & afficiāt.* Seneca epistola CXV. paullò aliter: *Qui lacernas coloris improbi sumunt, qui perlucentem togam, qui nolunt facere quicquam, quod hominū oculis transilire liceat. Irritant illos & in se aduertunt.* Quamuis hîc alii *auertunt* malint.

Progrediuntur contubernio. quis ille flebilis sonus? quod tam triste? feminas illustris &c.] Vox substantiua desideratur. quam adscripserat Muretus, *quod spectaculum tam triste?* sed addito P. Danesii nomine. 28

pag 13. c. XLIV. *Centurionatum inde egit*] Lipsius, *legit.* qua forma *Senatum legere.* Quid si *agere Centurionatum* sic dictum, vt *Dilectum agere?* Et fuit hic velut dilectus Centurionum. 29

C. XLVII. *Quos igitur anteferret? ac ne postpo-* 30



siti, contumeliâ incenderentur] Videtur, vt & visum Mureto, *ac* delendum.

31 pag. 14. c. XLVIII. *Nã in pace caussas & merita spectari*] Mur. *caussarum merita*. Non necesse.

32 pag. 15. c. LV. *Manente bello: quod quamquã in æstatem summâ ope parabat, initio veris & repentino in Chattos excursu præcepit*] Mur. *et* delet. Recte sane abest.

33 *Segestes parari rebellionem sæpè aliàs, & supremo conuiuio, &c. aperuit*] Mur. idem hîc rursum inserit *et*: *Rebellionem & sæpè alias, & supr.*

34 pag. 16. c. LVI. *Sed Chattis adeò improuisus aduenit, vt quod imbecillum ætate ac sexu, statim captum aut trucidatum sit: iuuentus flumen Adranam nando transmiserit: Romanosq́; pontem* &c.] Lego: *Trucidatum sit. Iuuentus f. A. n. transmiserat, R. p. cæptantes arcebant*.

35 pag. 17. c. LIX. *Coleret Segestes victã ripã; redderet filio sacerdotium: hominem Germanos nunquam satis excusaturos, quòd inter Albim & Rhenum virgas, & secures, & togam viderint*] Hîc primùm malim, *Redderet filium sacerdotio*. Rectius n. ita, quoniam ille sacerdotio aufugerat. Paullò superius: *Quippe anno quo Germania desciuere, sacerdos apud Aram Vbiorũ creatus ruperat vittas, profugus ad rebelles*. Deinde quæ sequuntur languent, nec Lips. erigit sua lectione, *Accusaturos*. Ego videor erigere; simul & asperare probrũ in Segestem: *Coleret Segestes victã ripam; redderet filium sacerdotio: enimuerò Germanis nunquam satis excusaturũ, quòd inter* &c. Ex *Hominem* non nimis violenter *Enimuerò*

ex

ex *Germanos*, facillimè *Germanis* fit. *Excusaturum* autem etiam aliàs legitur. Lipsius olim voluit *Excusaturum* hoc sensu: Hominem natum neminem Germanos excusare posse, quod passi sint Romanos ad Albim pertingere.

pag. 18. c. LXIII. *Cæcina dubitanti quonā modo ruptos vetustate pontes reponeret, simulq; propulsaret hostem, castra metari in loco placuit; vt opus, & alii prœlium inciperet*] Ad marginē libri Mur. adscriptum, *Vt par opus alii.* Verè inde coniicio: *placuit, vt pars opus, alii prœlium inciperent.* 36

pag. 19. c. LXVIII. *Hosti facile excidiū: & paucos & semermes cogitanti, sonus tubarum, fulgor armorū, quanto inopina, tanto maiora offunduntur*] Lips. ait: Sententia *Hostis* desiderat. Nego: Sed distinctionem, quæ sentētiæ fraudi, muto: *Hosti facile excidiū, & p. e. s. cogitanti sonus* &c. Si *Hostis* legas, cōtraria planè verborum mens ei, quam voluit auctor. 37

pag. 20. c. LXXI. *Quorum laudato studio Germanicus, arma modo* &c.] Iterum hexameter, vt initio operis, 38


Quorum laudato studio Germanicus armis.

c. LXXII. *Tanto se magis in lubrico dictans*] Potius forte *dictitans*, vt & Muret. Sic fortè & lib. II. Annal. *Rhescuporis sanciendo, vt dictabat, fœderi. Dictitabat* legendum. 39

pag. 21. c. LXXIV. *Permotus his, quantoq; incautius efferbuerat, pœnitētiâ patiēs; tulit absolui reum criminib: maiestatis*] Muretus: *quantoque incautius efferbuerat, tanto patientius tulit absolui.* Concinnius hoc sanè. 40

41 pag. 22. c. LXXX. *Caussæ variæ traduntur. alii tædio nouæ curæ*] Non temerè hoc mutem: sed procliuis est suspicio, ne scribendum, *Caussæ variè trahuntur.* vt supra: *Cur abstinuerit spectaculo ipse, variè trahebant. alii* &c.

IN ANNALIVM
LIB. II.



1 PAg. 24. c. II. *Ignotæ Parthis virtutes, noua vitia, & quia ipsorum maioribus aliena*] Rectius, *Moribus.* vt & Muretus.

2 c. V. *Tractare præliorum vias, & quæ sibi tertium iam annum belligeranti sæua vel prospera euenissent*] Lego, *prœliorum vices.* Clarum & à se (nam quid sunt viæ prœliorum?) & ab adiunctis statim verbis, *quæ sibi sæua vel prospera euenissent.* At herculè *vias* tamen verum. ex sequentibus istis: *Fundi Germanos acie & iustis locis, iuuari siluis, paludibus* &c.

3 *Suum militẽ haud perinde vulneribus, quàm spatiis itinerũ, damno armorũ adfici*] Mur. vocẽ *Armorum* delet. scrib. *haud perinde vulneribus, quam sp. it. dam. adf.* Vix abest quin verè. Quid autem, si eandem vocem sic traducas? *Suũ militem haud perinde vulnerib. armorum, quam spatiis itinerum damno adfici. Vulnera* n. *armorum* non ineleganter. Sanè si quid hîc mutandum, ita planè malim. Etsi etiam nihil mutem. Nam vulgatum optimi sensus, optimæ structuræ.

At

At ſi mare intretur; promptam ipſis poſſeſſionem, & hoſtibus ignotam: ſimul bellum maturius incipi, legionesq; & commeatus pariter vehi &c.] Quamnam *poſſeſſionem*? Vereor ne legendum *profectionem*. Paullò enim ante querebatur ſpatia itinerum, & longum impedimentorum agmen; & huic omnia reliqua conueniunt, quæ adiuncta, alteri voci eorum nihil. 4

c. VI. *Simul apta ferendis equis, aut commeatui, velis habiles, cita remis; augebantur alacritate militum in ſpeciem ac terrorem*] Muretus voluit, *Cita remis agebantur alacritate.* Non ea mens Taciti: cui ipſi nec conueniunt vel illa postrema verba, *in ſpeciem ac terrorem.* Sed tu τελείαν στιγμὴν pone poſt vocem *Remis.* deinde à capite ſcribe, *Augebantur alacr. milit.* Hæc .n. mens Taciti: Mille naues, ut præceſſit, ſufficere viſas, ſed auctum hunc numerũ alacritate militum in ſpeciem ac terrorem. 5

Inſula Batauorum in qua conuenirent prædicta, ob faciles adpulſus, accipiendiſque copiis, & tranſmittendũ ad bellum opportuna] Lego, *Accipiendiſq; copiis & tranſmittendis, ad bell. opp.* 6

pag. 25. c. IX. *Tum permiſſum progreſſuq; ſalutatur ab Arminio*] Muret. *Tum* delet, nullâ cauſsâ. 7

c. XIV. *Nox eadem lætam Germanico quietem tulit, viditq; ſe operatum*] Muretus, *quietem tulit. vidit ſe operat.* deleto, *que.* Mihi videbatur, *tulit. vidit quippe ſe operatum.* 8

pag. 26. *Primam vtcunq; aciem haſtatam; ceteris præuſta aut breuia tela*] Legas fortè, *præ-* 9

b

vasta. Præcessit: *Nec enim immensa barbarorum scuta, enormes hastas, inter truncos arborũ, & nata humo virgulta perinde haberi quam pila & gladios.* Nisi tamen illud in contemptum Germanorum, utpote inermium, dictum censeas.

10 c.XV. *Quorum pars onusta vulneribus tergum, pars fluctibus & procellis* &c.] Omninò aut *onustum*, aut *terga* scribendum: & hoc potius, numero pluratiuo. Visum sic & Mureto.

11 *Meminissent modo auaritiæ, crudelitatis superbiæ: aliud sibi reliquum quam tenere libertatem, aut mori ante seruitium?*] Lipsius ad marginem notat, *An aliud*. Mihi rectius videatur, detrahere interrogationem, & immittere, *Nec. Superbiæ: nec aliud sibi reliquum* &c. scilicet *meminissent*, quod præcedentibus iunctũ ad hæc quoq; verba trahendum. Lipsius olim voluit: *Non aliud sibi reliquũ.* quod ait & Rhenanum vidisse.

12 pag. 27. c. XVI. *Intentus paratusq; miles, vt ordo agminis, in aciem adsisteret*] Lips. ad marg. *adstitere.* Malim *adsistere*, vel *adstiterat.* & hoc magis. Paullo namque post idem sequitur, *qui campis adstiterant.*

13 c. XVII. *Incubueratq; sagittariis, illa rupturus, ni Ratorum Vindelicor.*] Mur. *illa erupturus.*

14 *Et plerosq; tranare Visurgim conantes, iniecta tela aut vis fluminis, postremò moles ruentium, & incidentes ripæ, operuêre*] Noli mutare, *mole ruentium incidentes ripæ.* Si planè hunc sensum vis, qui alias pauxillò diuersus, efficitur idem ex illis

illis ipsis quoque verbis. Capies enim ἓν διὰ δυ-
οῖν. quæ figura Tacito crebra.

pag. 28. c. XX. *Vtrisq. necessitas in loco, spes in virtute salus ex victoria*] Muretus, *In victoria.* Benè. nec tamen opus. 15

c. XXIII. *Disiectiq. naues in aperta Oceani, aut insulas saxis abruptas, vel per occulta vada infestas*] Malo, *Abruptis.* 16

pag. 29. c. XXV. *Quippe inuictos & nullis casib. superabiles Romanos prædicabant, qui perdita classe, amissis armis*] Mirum nî illud *prædicabant* à glossatore quopiam est: cui deesse tale quid videretur. Additiones eiusmodi aliquot è Curtio sustulimus. In proximè præcedentibus omnino cum Lipsio legendum, *non auso congredi hoste.* item *pulso, pauente.* non accusandi casu vt vulgatur. 17

c. XXVI. *Posse & Cheruscos, ceterasq. rebellium gentes, quando Romanæ vltioni consultum est, internis discordiis relinqui*] Lego, *Esset.* & Muret. mecum. 18

pag. 30. c. XXXII. *L. P. & Gallus Asinii, & Papius Mutilus, & L. Apronius decreuêre*] Mediũ *Et* Mur. delet. Leue. sed non planè spernendũ. 19

c. XXXIII. *Facilè assensum Gallo, sub nominib. honestis, confessio vitiorum & similitudo audientium dedit*] Ne assentiamur Lipsio, legi posse *consensio. Confessio* retine, sed comma ante ipsam vocem dele. Iungenda enim illa, *Confessio vitiorum sub honestis nominibus.* Et quæ illa infantia, *Consensio assensum dedit?* 20

pag. 31. c. XXXV. *Piso, quamquam abfuturũ se Cæsar dixerat, ob id magis agendum censebat, vt* 21

absente principe, senatus & equites possent sua munia sustinere. decorum Reip. fore] Verba concinna satis: vereor vt sententia: quæ esse potior videtur, ita rescriptis illis: *Piso, quamquam abs. s. C. dix. ob id m. ag. censebat. absente principe, Senatum & equites posse sua munia sustinere, decorum Reipubl. fore.* Dubito etiam an pro *possent* vel *posse*, melius sit reponi, *pro se*, vel *per se*.

22 C. XXXVI. *Vnde prospici posse qua cuiq; tàm longo temporis spatio mens, domus, fortuna*] Interrogationis notam appone in fine, & veram sententiam restitueris.

23 pag. 32. C. XXXVII. *Adsequentur florente te, Cæsar, quos dederis honores, interim Q. Hortensii pronepotes, diui Augusti alumnos ab inopiâ defende*] Fortè melius, *Adsequantur fl. te, C. q. d. honores: interim Q. Hortensii pronepotes* &c.

24 C. XXXIIX. *Non enim preces sunt istuc, sed efflagitatio intempestiua quidem & improuisa: cum aliis de reb. conuenerint patres, consurgere, & numero atque ætate liberorum suorum, vrgere modestiam Senatus, eandẽ vim in me transmittere, ac velut perfringere ærariũ*] Rhenanus, *transumere.* Lips. *eâdem inuidiam in me transmittere.* vel *eâdem inuidia me transdere.* Mihi nullum horum probum. Proximè ad litterarum & sententiæ ductum sic emendem: *vrgere modestiam Senatus, inuidiam miseratione mouere, ac velut perfring.* Corruptio planè ex compendio scribendi nata. *misrone.* quod diductum in duas voces, *me trans*, degenerauit. De inuidia &mi-

& miseratione aptissimum hîc esse, tum ex ipsa re, tum ex Hortali ipsius ante recitatis verbis paret: *Ea stirps & progenies tot Consulum, tot dictatorum. Nec ad inuidiam ista, sed concilianda misericordia refero.* Sed aliter nempe Tiberius accipiebat tamen. Voculæ, *vim in*, ex hæsitatione librariorum natæ, aut postea ab emendatoribus inculcatæ. Nam ex *eandem* facillimè *inuidiam* fieri omnes vident, vt item ex *mittere, mouere*. Possis tamen etiam, *Inuidiam miseratione miscere.* quomodo lib. 1. alii Tacitum locutum volunt; *lacrimas gaudio, questus adulatione miscebant.* Sed prius ad rem aptius. Poterat & simpliciter, *Inuidiam in me transmittere.* quomodo infra locutus est: *Proinde tradito Cotye veniret, transferretq; inuidiam criminis.*

C. XL. *Cum Tiberium anceps cura distraheret, vine militum seruum suum coërceret, an inanem credulitatem tempore ipso vanescere sineret*] Muretus *suum* deleri voluit, quod refutat Lipsius, suppresso nomine, & ipsâ coniecturâ, tantum rectum esse vulgatum aiens. Et est fortè rectũ. Mihi tamen non inconcinnè ex *suũ* scribi posse *statim* videbatur. quod profectò valdè ad loci sententiam, si sequentia verba pensitas. 25

Ille è clientibus duos (quidam milites fuisse tradunt) dilegit atque hortatur] Mur. *deligit*. Parum interest, *diligit*, an *deligit* scribas: dum tẽpore non præterito, sed præsenti. Statim: *atque hortatur, simulatâ conscientiâ adeant, offerant pecuniam, fidem, atque pericula polliceantur.* 26

Fortè, *fidem ad pericula polliceantur*. Tamen & vulgatum commodè capi potest: tanquam si communia sibi cum ipso pericula fore spondeant.

27 pag. 34. c. XLV. *Diriguntur acies pari vtrinq; spe*] Rectè sane *spe*. Rectius videri possit tamen *specie*, si sequentia statim verba consideras: *nec vt olim apud Germanos vagis incursibus, aut disiectas per catervas* &c.

28 *Spolia adhuc & tela Romanis direpta in manibus multorum*] Melius *derepta*. Plaut. in Aulul. *Luce claro deripiamus aurum matronis palam.*

29 c. XLVI. *Mox conditionibus æquis discessum. neq; pœnitere quòd ipsorum in manu sit, integrum aduersus Romanos bellum an pacem incruentam malint*] Sentētia vult, sic potius distingui; *Mox c. æ. discessum, neque pœnitere. quòd* (id est quoniam) *ips. i. m. sit* &c.

30 pag. 35. c. XLVII. *Quiq; Mosceni aut Macedones Hircani vocantur*] Lipsius, *Mosteni*. Muretus notauit *Mosyeni*. nec vltra addidit ipse, nec ego scio.

31 c. XLVIII. *Neq; hereditatem cuiusq; adiit, nisi cum amicitiâ meruisset*] Mur. *nisi quam am.* Rectius sanè. At legi etiam poterat, *nisi cuius amicitiam meruisset*. De verbo *merendi* eo significatu ad Plinii & Symmachi Epistolas à nobis actum dictumque.

32 c. L. *Interrogatus à Consule, quid de his censeret, quæ de matre eius locuta secus argueretur, reticuit*] Muret. *sequius*. Rectè.

33 pag. 36. c. LV. *Quia Theophilum quendam Areo*]

Aréo] Muret. *Aréo* mutauit *Areo*. tanquam decurtata vox esset. At nihil opus.

pag. 37. c. LVII. *Postea rarus in tribunali Cæsaris Piso*] Maluit Muret. diuisim, *Post qua rarus*. Idem in vtroque momentum. 34

pag. 38. c. LX. *Qua tempestate Menelaus Græciam repetens, diuersum ad mare terramq; Libyā delatus. Inde proximum amnis os dicatum Herculi*] Clamat Lipsius vitiosam interpunctionē historiæ noctem facere: quæ illustranda hac distinctione, *Menelaus G. r. d. a. m. t. L. d. inde. Proximum a. os.* &c. Ego non video cur id necessarium. Nam distinctio vulgata non impedit, neq; negat Menelaum è Canopo in Sidonios, Libyamq; delatum. Neque Tacito sanè propositum bina illa Nili ora, alterum Canopicum, alterum Heracleoticum describere: sed tangit saltē. Neq; autem structura orationis ipsius sic distingui patitur: quæ tamen iuuanda leuiter etiam est insitione particulæ *ad*. L. *Inde ad proximum amnis os*. &c. Nam ita rectè oratio se consequitur: *Nilo subuehebatur, orsus à Canopo*. &c. *Inde ad proximum amnis os*. &c. *Mox visit Thebarum magna vestigia* &c. 35

pag. 39. c. LXIV. *Latiore Tiberio, quia pacem sapientia firmauerat, quam si bellū per acies confecisset. Igitur Rhescuporim quoquo Thraciæ regem astu adgreditur*] Leuissimum mendum. L. *quoque*, Nam alterum ferri omnino non potest. 36

In eâ diuisione arua & vrbes, & vicina Græcis, 37

Cotyi: quod incultũ, ferox, adnexum hostib. Rhescuporidi cessit. ipsorumq; regum ingenia, illi mite, & amœnum: huic atrox, auidum, & societatis impatiens erat.] Nec constructio satis concinna, nec sententia satis expedita. Lege, *Rhescuporidi cessit, vt ipsorum regum ingenia. illi quippe, mite & amœnum; huic atrox* &c. Comparat .n. ingenia ipsorum regum cum ingenio subiectarum regionum.

38 pag. 40. c. LXVIII. *Effugere ad Armenios, inde in Albanos Heniochosq; & consanguineũ sibi regem Scytharũ conatus est, specie venandi. Omissis maritimis locis, auia saltuum petiit, mox pernicitate equi ad amnem Pyram.* &c.] Possis dubitare, an non potius sit distingui: *conatus est. Specie venandi, omissis maritim. loc.* &c.

39 c. LXIX. *Hinc graues in Pisonem contumeliæ, nec minus acerba quæ ab illo in Cæsarẽ tentabantur.* Dein Piso abire Syria statuit*] Non frustra hîc deesse quæpiam notauit Lipsius. Tamen videatur sic satis integer locus esse, si pro *Dein* legas *Deniq;*. Hæc .n. particula non rarò sic vsurpatur, vbi omnia sigillatim narrare non libet, & ad exitum rei properamus.

40 *Et reperiebantur solo ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ*] Muret. *Parietinis.* Caussam satis euidentem non habet.

41 pag. 42. c. LXXIX. *Ille eludens respondit, adfuturũ vbi Prætor, qui de veneficiis quæreret, reo atq; accusatoribus diem prædixisset*] An potius *prodixisset?* Id enim verbi potius in hac re vsurpatum. Liuius lib. III. *In carcerem est coniectus,*

ictus, eiq́; Tribunus diem prodixit. Et ex eodem & item aliis plura exempla dat Scaliger in Festum. Sane & Muret. ita legit.

c.LXXX. *Hinc militum, inde locorum asperitas*] Muret. *Hinc militum vis, inde l.asp.* Ego 41
probo.

pag. 43. c. LXXXII. *Iuuit credulitatem nox, & promptior inter tenebras adfirmatio*] Et hîc 43
versus,

Iuuit credulitatem nox, & promptior inter

c.LXXXV. *Exacta & à Titidio Labeone Vistilia marito, cur in vxore delicti manifesta vltionem legis omisisset*] Lipsius cum Vertranio, 44
Exactum. Ego cum Mureto, *Exacta & à T. L. V. m. ratio, cur i. v. d. m. &c.* Quomodo vox *ratio* perierit, nemo tam cæcus opinor est vt non videat.

pag. 44. c. LXXXVIII. *Reperio apud scriptores senatoresq́; eorundem temporum, Adgandestrii principis Chattorum lectas in senatu litteras* &c.] 45
Lipsius *Senioresq́;* emendat. quasi testes auctor aduocet eius æui, qui fuissent in re præsenti. Et placuit hoc Nob. Dousæ: nescio an etiam aliis, mihi quidem non potest. Si enim vult Tacitus dicere, audiisse se hæc ex senioribus, obsecro an vtatur tum ea loquendi ratione, *Reperio apud seniores?* Potius, *Comperio ex senioribus.* Sed emendationem quidem puto certam: sensum autem paullò diuersum. ut capiamus, non audiisse ex ipsis, sed in scriptis eorum, qui tum temporis vixissent, & audita vel visa scripsissent, reperisse. Cuius mentis est omnino illud etiam

lib. XI. *Verum audita scriptaque senioribus tradam.* De cuius loci sententia, suo tamen loco infra hæreo, sed frustra. alia eius mens esse quã hæc non potest.

» [Subiiciam hîc locum ex III. Annalium qui
» vtrum aduersetur sententiæ fratris, alii iudi-
» cent. Verba sunt Taciti: *Audire me memi-*
» *ni ex senioribus.* Paullo post: *Neque occulere*
» *debui narratum ab iis, qui nostram ad iuuentam durauerunt.*]

IN ANNALIVM

LIB. III.

1 

Ag. 45. c. v. *Prapositam thoro effigiem*] Lipsius ad hunc locum in primâ editione, Leg. *thoro.* Moris enim erat vt mortui effigies cerea, interdum etiã principum virorum aureæ in lecto collocarentur. De quo vide Dion. l. LVI. Facit illud Propertii:

Nec mihi tunc fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa thoro.

Vide num quid huc faciat, quod Suetonius de imaguncula Augusti inter cubiculares principis cultas memorat Augusto, cap. VII.

» [At vero nihil huc facere, eleganter & pro-

prolixe, sæculi nostri lumen, Casaubonus, in «
nuperâ sua Suetonii editione docuit. Hæc ipsa «
etiam verba auctor intelligi aliquando voluit «
de prælationibus imaginum in funere, ita vt «
legeretur, *pragestas thoro effigies.* verbo non a- «
deo trito, sed apud bonos etiam non inusita- «
to. correxit tamen semetipsum assignato po- «
stea Statii loco, ex Syluar. lib. II. in Genethl. Lu- «
cani: *Hæc te non thiasis procax dolosis*

Falsi numinis induit figurâ:
Ipsum sed colit, & frequentat ipsum
Imis altius insitum medullis,
Ac solatia vana subministrat
Vultus: qui simili notatus auro
Stratis prænitet, incubatque somno.

Libet item adiicere quod Goltzius ex Dio- «
ne & Herodiano notat. Ceream imaginem «
defunctoque simillimam fingebant, eamque «
in palatii vestibulo propositam supra eburne- «
um lectum maximum atque sublimem, vesti- «
bus instratum aureis locabant. Et quidem ima- «
go illa ad ægroti speciem pallida recumbebat. «
Circa lectum vero vtrinque magnam partem «
diei sedebant, à lęua quidem Senatus omnis ve- «
stib. atris amictus, à dextrâ vero matronæ quas «
virorum aut parentum dignitas honestabat. «
Harumque nulla vel aurum gestans, vel ornata «
monilibus conspiciebatur, sed vestibus albis «
exilibus intutæ mærentiũ speciem præbebant. «
Hæc ita per septẽ dies continuos faciebant, me- «
dicis ad lectũ quotidie accedẽtibus, inspectũq; «

» veluti ægrum deterius se habere subinde pro-
» nuntiantibus. Dein vbi iam visus esset obiisse
» diem, lectũ humeris attollebant equestris Se-
» natoriiq; ordinis nobilissimi ac lectissimi iuue-
» nes, perq; viam sacram in vetus forum defere-
» bant &c.]

2 c. VI. *Non enim eadem decora principibus viris, & imperatori, populoq;. modicis domibus aut ciuitatibus, conuenisse recenti dolore luctum, & ex mœrore solatia*] Lipsius reiectâ copulâ iungit, *imperatori populo*. Muretus, copulam retinet, nec ita voces iungit, sed insuper aliam inserit, ad hoc exemplum: *& imperatori, populoq;, qua modicis domibus* &c. Vterq; recte, neuter satis rectè. Etenim iungenda illa *imperatori populo*, & relatiuum *qua* non inserendum retentâ copulâ *que*, sed ex hac ipsâ faciendum alterum *qua*: & totus locus certissimâ correctione ita scribendus, ita interpungendus: *Non enim eadem decora principibus viris, & imperatori populo; qua modicis domibus aut ciuitatibus. Conuenisse recenti dolore luctum, & ex mœrore solatia: sed referendum iam animum ad firmitudinem* &c. Opponit principes viros modicis domibus, imperatorem populum modicis ciuitatibus. Hoc qui non probabit, ille verò verè Morychus. Imperator populus dicitur Virgilio,

Romanos rerum dominos gentemq; togatam.
Sueton. Caligul. XXXV. *Dominum gentium populum ex re leuissimâ plus honoris gladiatori tribuentem.*

3 pag. 46. *Sed referendum iam animum ad firmitu-*

mitudinem, vt quondam diuus Julius amiſſâ v-
nicâ filiâ, vt Diuus Auguſtus ereptis nepotibus,
abſtruſerint triſtitiam]. Verbum *abſtruſerint*
mihi omnino conuenire non videtur. Loqui-
tur enim de animi firmitudine & conſtantia,
quæ non eſt, ſi triſtitia ſaltem abſcondatur, oc-
cultetur, ſed abiiciatur. Itaq; moueor, vt legen-
dum credam, *Abſterſerint*.

c.x. *Petitumq; eſt à Principe, cognitionem* 4
exciperet] Melius erat *acciperet* vel *ſuſciperet*.
Et forte pro illo ſcriptum fuit ἀρχαϊκῶς, *Eccipe-*
ret. quæ mendo cauſſa.

c. xi. *Poſtquam reo T. Arruntium, Fulciniũ,* 5
Aſinium Gallum, Æſerninum Marcellum, Sex.
Pompeiũ patronos petenti, iiſq; diuerſa excuſanti
bus, M. Lepidus & L. Piſo, & Linineius Regulus
adfuêre] Mur. *Poſt quæ reo T.* &c. Rectius ſi ἀ-
κολουθίαν orationis vides. Idem pro *& Linineius*
notauit, *& L. Iuuentius*. quod ego nec firmem,
nec infirmem.

Arrectâ omni ciuitate, quanta fides amicis 6
Germanici, quæ fiducia reo, ſatin' cohiberet ac pre
meret ſenſus ſuos Tiberius, an promeret: iis haud
aliàs intentior populus, plus ſibi in principem oc-
cultæ vocis, aut ſuſpicacis ſilentii permiſit] Vocu-
lam *iis* audacter deleo, & totum hunc locum a-
liter diſtinguo, receptâ Mureti lectione *poſt*
quæ, non *poſtquam*. quæ vox cauſſa fuit, vt τὸ *iis*
inculcaretur. Ab illo enim *poſtquam* huc vſque
pendebat ſententia, & vt necteretur neceſſari-
um erat hoc *iis* quaſi vinculũ iniicere. At nunc
vide, quam omnia melius fluant, *Poſt quæ reo*

T. Arruntium, Fulcinium, Asinium Gallum, Æserninum, Marcellum, Sex. Pompeium patronos petenti, iisque diuersa excusantibus, M. Lepidus, & L. Piso, & Liuineius Regulus adfuére: arrectâ omni ciuitate, quanta fides amicis Germanici, quæ fiducia reo, satin' cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius, an promeret. Haut aliàs intentior populus plus sibi in principem occultæ vocis, aut suspicacis silentii permisit. Sciens struendę orationis lector iudicabit, & scio probabit. Alium nec probare curo, nec volo iudicare.

7 pag. 47. c. XII. *Odero, seponamque à domo meâ, & priuatas inimicitias non Principis vlciscar*] Ita Lipsius ex veteri lectione *Noui principis*. qui tamen idem indidem malit, *non vt Princeps*. At Muretus fecerat, *priuatas inimicitias non vi principis vlciscar*. Lector iudicet, quę triũ harum melior. Mihi omnes probabiles sunt.

8 *Nemo Drusi lacrymas, nemo mæstitiam meam spectet, nec si qua in nos aduersa finguntur*] Vereor vt integra hæc Tiberii oratio. Nam post hæc vltima nescio quid aures meæ suspensæ adhuc vlterius exspectant. Equidem si constructionem spectas, & sensum aspicis, non inspicis; nihil desiderabis: desiderabis, si acutius rimeris. Et facile coniectare est quid adnexum fuerit, ex sententia priorum.

9 c. XIV. *In conuiuio Germanici, cum super eum Piso discumberet, infectos manibus eius cibos arguentes*] Post hæc sequi facit Muretus illa inferiora, *quod haud minus Tiberius, quàm Piso abnuere.*

ere.quę Lipsius eiicienda vidit, sed non quò remittenda: & de hac transpositione idem Lipsius cēsuit in prima editione; in posterioribus cur detraxerit, nescio. Rectè meo iudicio Muretus. Igitur hunc locum sic scribe & distingue: *Solum veneni crimen visus est diluisse, quod nec accusatores quidem satis firmabant; in conuiuio Germanici, cum super eū Piso discumberet, infectos manibus eius cibos arguentes: quod haud minus Tiberius quàm Piso abnuêre. quippe absurdū videbatur, inter aliena seruitia, & tot adstāntium visu, ipso Germanico coram id ausum.* Reliquę porrò duæ istæ voces, *scripsissent expostulantes*, quæ ibidem inferius leguntur, quid sibi velint, vnde venerint, quò pertineant, nemo coniectauerit. Eiiciendas illinc manifestissimum omnib. est: qui modò videant, quàm aptè cetera inter se cōmittantur, *Sed iudices per diuersa implacabiles erant. Cæsar, ob bellum prouinciæ illatum: Senatus, nunquam satis credito, sine fraude G[e]rmanicum interiisse. simul populi ante curiam voces audiebantur, non temperaturos* &c.

pag.48.c.xiv. *Crebrisq; interrogationib. exquirit qualē Piso diem supremum noctemq; exegisset. * Atq; illo pleraq; sapienter, quædam inconsultius respondente, recitat codicillos a Pisone in hunc ferme modum compositos*] Vbi stellula est, deesse quędam putauit Lipsius, aut scribendum, *Atq; filio pleraq;* &c. Nam εὐλόγως filium Pisonis attulisse parentis codicillos, & ab eo quæsisse Tiberium singulatim de morte. Muretus aliter & rectius: *Crebrisque interrogationibus ex filio quærit, qualem Piso d. sup. noct. exegisset.* 10

Atq; illo pl. f. Nam de filio Pisone interrogato non modo εὔλογον, sed necessarium est, si rem recte cogitas. Et oratio concinna aliter non est, nisi sic struatur. Sed quod Lipsius ait, Pisonis filium attulisse parentis codicillos, id non εὔλογον, sed plane ἄλογον. Fugit ipsum ratio, nec meminerat amplius, liberto suo Pisonem dedisse ad Cæsarem ferendos. Paullo ante: *Pauca conscribit, obsignatq; & liberto tradit.* Nec putemus iā primum à quocunq; ad Tiberium delatos, sed in curiam à Tiberio ipso allatos. Etiam caue illa verba, *Recitat codicillos*, de filio Pisone accipias, sed de ipso Cæsare. Quod non modo sententia loci totius vult, sed efflagitat ipsa verborum istorum structura.

11 pag. 49. c. xv. *Primoq; impetu pulsa cohorte, promptus inter tela occursat fugientibus, increpat signiferos, quod inconditis aut desertoribus miles Romanus terga daret*] Liberè fateor, non video, quæ vis in iis vocibus, *Inconditis aut desertoribus*. Voluit nescio quam indignitatem fugæ exprimere Tacitus: quam non satis repræsentant hæc verba. Si quid in iis esset, legendum potius, *inconditis ac desertoribus*. Sed quomodo desertores? Mihi corrigere videor, *quod inconditis acies, desertori duci miles Romanus terga daret*. Turpe inquit, aciem instructam inconditis copiis: etenim aciem ipse direxerat: *Is cohortatus milites vt copiam pugnæ in aperto facerent, aciem pro castris instruit.* Turpe etiam Romanum militem duci, qui desertor ipsius, terga dare. Tacfarinas dux Romani exercitus desertor,

tor, lib. II. *Eodem anno cœptum in Africa bellum, duce hostium Tacfarinate. Is natione Numida, in castris Romanis auxiliaris stipendia meritus, mox desertor, vagos primum & latrociniis suetos ad prædam & raptus congregare: dein more militiæ per vexilla & turmas componere: postremo non inconditæ turbæ, sed Musulanorum dux haberi.* Porro suspecta mihi etiam vox *Signiferos.* Nam cur signiferos increpet tantum, vbi omniũ culpa? Etiam emendare ausim, *increpat singulos, quod inconditis* &c.

[Agnouit postea auctor, eamdem sententiam esse in vulgatis Taciti verbis, sed non ita expressam: quo ad priora illa scilicet.] " " "

c. XXII. *Mox M. Seruilium è consularibus, aliosque testes inlexit ad proferenda, quæ velut reticere voluerat*] Muret. *voluerant.* Non, non hæc mens. Tu me auctore legito, *reticeri.* Tiberius simulator & dissimulator, quæ quasi reticeri voluerat, ea proferri studet. 12

pag. 50. c. XXIV. *Veneno eum à Lepida petitum. Illustrium domuum aduersa (& enim haud multum distanti tempore Calpurnii Pisonem, Aemylii Lepidam amiserant) solatio adfecit D. Silanus Iuniæ familiæ redditus*] Tribuit egregiam hanc correctionem Lipsius egregio iuueni Iosiæ Mercero. At Muretus etiam ita plane in suo emendauerat. Similis porro huic locus est, quod ad phrasin, lib. IV. item à Mureto correctus: *Largitio principis aduersis casuum solatium tulerat* &c. 13

14 *M. Silani fratris potentia, qui per insignem nobilitatem & eloquentiam praecellebat*] Leg. verissimâ coniecturâ: *qui super insignem nobilitatem & eloquentiâ praecellebat. Et* pro etiam.

15 c.XXVI. *Neque praemiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur; & vbi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur*] Lego, *Peterent.*

16 pag. 51. c.XXVIII. *Sexto demum Consulatu Caesar Augustus potentiae securus, quae triumuiratu iusserat, aboleuit. deditq; iura quis pace & principe vteremur. acriora ex eo vincla, inditi custodes, & lege Papiâ Poppaeâ praemiis inducti visi (vt si) à priuilegiis parentum cessaretur velut parens omnium populus vacantia teneret*] Lipsius primâ editione Vertranius legit, *Praemiis inducti, ne si à priuilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneretur.* Ferretus integrum locum non putat, cui assentior. Nisi placet legi, *Praemiis inducti, aut si à priuilegiis.* Horum nihil iam postremâ edit. Locus hic sine dubio corruptissimus. Muretus tentauit: *acriora ex eo vincla, indicia, custodes; etiam lege P. P. p. inducti, vt si a p.* &c. Nondum te expedias, imò magis impedias. Mihi leuissima mutatione sic videatur aperta & vera sententia confieri: *Acriora ex eo cuncta: indices odiis, & lege Papiâ Poppaeâ praemiis inducti, vt si à priuil.* &c.

17 *Ex eo,* cape exinde. vt Virgil.

Ex illo fluere ac retrò sublapsa referri
Spes Danaum.

Indices vocat delatores & accusatores, qui propriis odiis,

odiis, & mox præmiis lege Papiâ Poppæâ constitutis inducti. Ex *vin. la* feci *cuncta*. Ex *inditi custodes*; *indices odiis*. Quæ hîc vis aut audacia?

c. XXIX. *Ac tamen initia fastigii Cesaribus erant: magisque in oculis vetus mos, & priuignis cum vitrico leuior necessitudo; quam auo aduersus nepotem*] Muretus, *Hæc tamen*. 18 Ego porrò ex *magisque* faciam *quamuis* transpositione saltem litterarum; & sic distinguam: *Hæc tamen initia fastigii Cæsaribus erant, quamuis i. o. v. mos, & priuig. c. vitrico* &c. Ita vera Taciti sententia exprimitur.

pag. 52. c. XXXIII. *Ne quem magistratum, cui prouincia obuenisset, vxor comitaretur; multum antè repetito, concordem sibi coniugem, & sex partus enixam*] Muretus *aliè*. Nihil opus. 19

Pernicacibus magis & impotentibus mulierum iussis; quæ Oppiis quondam; aliisque legibus constricta; nunc vinclis exsolutis, domos, fora, iam & exercitus regerent] Dubites, annon etiam *vinclis exsoluta* scribendum, vt *legibus constricta*. Ego amplius, an non inserendum etiam: *nunc vinclis exsoluta non modo domos, fora iam & exercitus regerent*. Videtur sententia melior esse, & voculæ istæ perire facillimè potuisse. 20

c. XXXIV. *Multa duritie veterum melius & lætius mutata*] L. *Multa à duritie veterum in melius e. l. m.* Sic etiam Muret. 21

p. 53. c. XXXVI. *Probra sibi & minæ intendan-* 22

tur. neq; ipse audeat ius experiri, ob effigiem imperatoris oppositam] Tolle è medio punctum & comma repone.

23 C. XXXVIII. *Qua tempestate Cotye fratre interfecto, bellum aduersus nos voluerat*] Vacillationis hic Tacitum arguit Lipsius, & humani aliquid passum esse: qui fratrem Rhescuporidis Cotyn dicat, quem libr. II. fratris filium fecerat. Liberat hac culpâ Muretus, scribens, *Cotye Fr. F. interfecto*. Et verisimile est has olim notas à librario non intellectas, aut alteram neglectam. atque hinc originem mendi.

24 pag. 54. *Cœlaletæ, Odrusæq;, & alii, validæ nationes arma cepere*] Lips. *Astii*, vel *Dii*. Muretus, *Odrusæ, Setalii, validæ natione*. Nondum mihi noti *Setalii*.

25 C. XLIII. *Augustodunum caput gentis, armatis cohortibus Sacrouir occupauerat, nobilissimam Galliarum subolem, liberalibus studiis ibi operatam, vt eo pignore parentes propinquosque eorum adiungeret*] Inserunt, *Et nobilissimam*. Si nihil plus desit, potius erat inseri, *ob nobilissimā Gall.* &c.

26 pag 55. *Augebantur hæ copiæ, vicinarum ciuitatum vt nondum aperta consensione, ita viritim promptis studiis*] L. *apertè*. & Mur. ita.

27 C. XLVII. *Neque decorum principibus, si vna alterave ciuitas turbet, omissa vrbe, vnde in omnia regimen. nunc quia non metu ducatur, iturum vt præsentia spectaret componeretque*] Muretus è regione vocum, *quia non metu ducatur*,

stellu-

ſtellulam adpinxerat. Mihi integer locus videatur, ſi *motu* pro *metu* legas. Excuſat Tiberius non maieſtatem Imperii Romani decuiſſe, vt turbantibus vnâ alterâve ciuitatibus omiſſa vrbe in bellum ipſe iret: nunc, quando non motu aut turbis eo ducatur, iturum vt præſentia ſpectaret & componeret. *Motum* ſic frequentiſſime Tacitus, Paullo ante de hac ipſa re: *Increpabantque Tiberium, quod in tanto rerum motu libellis accuſatorum inſumeret operam*. lib. I. *Eo in motu arguere Germanicum omnes, quod non ad ſuperiorem exercitum pergeret.* Sic idem ſæpe, *Res motas*.

pag. 56. c. XLIX. *Obiectans ægro Druſo compoſuiſſe, quòd ſi exſtinctus foret, maiore præmio vulgaretur*] Tolle apicem à τῷ *quòd*, & intellige carmen quod vulgandum, ſi Druſus foret exſtinctus. 28

c. L. *Sæpius audiui principem noſtrum conquerentem, ſi quis ſumptâ morte miſericordiam eius præueniſſet. Vita Lutorii in integro eſt, qui neque ſeruatus in periculum Reip. neque interfectus in exemplum ibit*] Lipſius ait ſententiam velle *eſto*. Illa vero *eſt*, mutari non patitur, ſi proxima anteriora verba, & rem ipſam cogitas. 29

pag. 57. c. LV. *Ad ea arma quîs Ser. Galba rem R. adeptus eſt*] Recte ita Lipſ. ex vulgato *rerum*. At indidem Muretus *Imperium*. Non probum adeo. 30

pag. 58. *Nec omnia apud priores meliora: ſed noſtra quoque ætas multa laudis & artium* 31

imitanda posteris tulit. verùm hæc nobis maiores certamina ex honesto maneant] Lipsius funestum hunc locum iam olim conclamauit. Idem tamen tentat, *nobis in maiores*: sed medicina, vt fatetur ipse, quæ huic mortuo non faciet vitam. Tentabo & ego, nec scio an depositum excitabo. L. *posteris tulit: quorum hæc nobis in maiores certamina ex honesto maneant*. Optat Tacitus vt sui sęculi morem certandi cum maioribus posteri etiam in se æmulentur. *Nobis maneant certamina*, phrasis nota & perspicua.

32 cap. LVII. *Dixitque pro sententia, vt publicis priuatisve monimentis*] Muret. *Priuatisq*. Rectius.

33 C. LVIII. *Neque aliud suum, quàm Martialium, Quirinaliumque Flaminum: porrò si hi duxissent prouincias, cur Dialibus id vetitum?*] Suspectum aliis, & ut aiunt, non dubiè corruptum verbum. Et Lipsius, quoque in phrasi offendit, *Ducere prouincias*. mutatq., *si hi duo rexissent*: vel, *si hi direxissent*. Mihi sanus & integer locus: proba phrasis videtur. *Ducere prouincias* subintellige *sorte*, vt idem sit quod sortiri prouincias. Et hic *Seruius vt Asiam* (verba sunt Taciti ipsius) *sorte haberet postulabat*.

34 *Summum Pontificum & summum hominum esse, non æmulatione, non odio, aut privatis affectionibus obnoxium*] L. *æmulationi*. & ita quoque Muretus. Ego tamen amplius *Aut* deleuerim. L. *non æmulationi, non odio, priuatis adfecti-*

fectionibus obnoxium. Lector serius probabit.

C. LIX. *Eò decursum est, vt Pontificis Max.* 35
sententiam opperirentur, Tiberius, dilata notione de iure Flaminis, decretas ob tribuniciam Drusi potestatem ceremonias temperauit] Claude sententiam puncto, *opperirentur. Tiberius, dilata* &c,

Bellum (vel *Bello*) *scilicet, aut diuerso terra-* 36
rum distineri, litora & lacus Campaniæ tum maxime peragrantem] Vtrumque, siue *bellum* siue *bello* legas, rectum. Muret. *cum maximè.* Rectius.

pag. 59. C. LXII. *Proximo Magnetes* 37
L. Scipionis, & L. Sylla constitutis nitebantur: quorum ille Antiocho, hic Mithridate pulsis, fidem atque virtutem Magnetum decorauere, vti Dianæ Leucophrynæ perfugium inuiolabile foret] Malo, *decorauerit.* Imò melius esset, *decorauissent.* atque etiam *Proximi.* vt respiciatur quod antecessit, *Primi omnium Ephesii adière.*

Et statim eodem modo vbi nunc scribitur, 38
Aphrodisienses posthac & Stratonicenses &c. scribam, *post hos.*

Aphrodisienses posthac (L. *post hos*) *&* 39
Stratonicenses dictatoris Cæsaris ob vetusta in partes merita, & recens diui Augusti decretum attulère. Laudati (melius videtur, *attulère, laudantis*) *quod Parthorum irruptionem, nihil mutatâ in Pop. Roman. constantiâ, pertulissent. Sed Aphrodisiensium ciuitas, Veneris; Stratonicensium, Iouis*

imitanda posteris tulit. verùm hæc nobis maiores certamina ex honesto maneant] Lipsius funestum hunc locum iam olim conclamauit. Idem tamen tentat, *nobis in maiores*: sed medicina, vt fatetur ipse, quæ huic mortuo non faciet vitam. Tentabo & ego, nec scio an depositum excitabo. L. *posteris tulit: quorum hæc nobis in maiores certamina ex honesto maneant*. Optat Tacitus vt sui sęculi morem certandi cum maioribus posteri etiam in se æmulentur. *Nobis maneant certamina*, phrasis nota & perspicua.

32 cap. LVII. *Dixitque pro sententia, vt publicis priuatisve monimentis*] Muret. *Priuatisq*. Rectius.

33 C. LVIII. *Neque aliud suum, quàm Martialium, Quirinaliumque Flaminum: porrò si hi duxissent prouincias, cur Dialibus id vetitum?*] Suspectum aliis, & ut aiunt, non dubiè corruptum verbum. Et Lipsius, quoque in phrasi offendit, *Ducere prouincias*. mutatq., *si hi duo rexissent*: vel, *si hi direxissent*. Mihi sanus & integer locus: proba phrasis videtur. *Ducere prouincias* subintellige *sorte*, vt idem sit quod sortiri prouincias. Et hic *Seruius vt Asiam* (verba sunt Taciti ipsius) *sorte haberet postulabat*.

34 *Summum Pontificum & summum hominum esse, non æmulatione, non odio, aut privatis affectionibus obnoxium*] L. *æmulationi*. & ita quoque Muretus. Ego tamen amplius *Aut* deleuerim. L. *non æmulationi, non odio, priuatis affecti-*

fectionibus obnoxium. Lector ſerius probabit.

C. LIX. *Eo decurſum eſt, vt Pontificis Max. ſententiam opperirentur, Tiberius, dilata notione de iure Flaminis, decretas ob tribuniciam Druſi poteſtatem ceremonias temperauit*] Claude ſententiam puncto, *opperirentur. Tiberius, dilata* &c. 35

Bellum (vel *Bello*) *ſcilicet, aut diuerſo terrarum diſtineri, litora & lacus Campaniæ tum maxime peragrantem*] Vtrumque, ſiue *bellum* ſiue *bello* legas, rectum. Muret. *cum maximè*. Rectius. 36

pag. 59. C. LXII. *Proximo Magnetes, L. Scipionis, & L. Sylla conſtitutis nitebantur: quorum ille Antiocho, hic Mithridate pulſis, fidem atque virtutem Magnetum decorauere, vti Dianæ Leucophrynæ perfugium inuiolabile foret*] Malo, *decorauerit*. Imò melius eſſet, *decorauiſſent*. atque etiam *Proximi*. vt reſpiciatur quod anteceſſit, *Primi omnium Epheſii adiêre*. 37

Et ſtatim eodem modo vbi nunc ſcribitur, *Aphrodiſienſes poſthac & Stratonicenſes* &c. ſcribam, *poſt hos*. 38

Aphrodiſienſes poſthac (L. *poſt hos*) *& Stratonicenſes dictatoris Cæſaris ob vetuſta in partes merita, & recens diui Auguſti decretum attulêre. Laudati* (melius videtur, *attulêre, laudantis*) *quod Parthorum irruptionem, nihil mutatâ in Pop. Roman. conſtantiâ, pertuliſſent. Sed Aphrodiſienſium ciuitas, Veneris; Stratonicenſium, Iouis* 39

& Triviæ religionem tuebantur] Muretus *Sed* deiet. Ego lego, *pertulissent: seq. & Aphr. c. Veneris; St. lo. & Triviæ religione tuebantur.*

40 C. LXIII. *Propiora Sardianos, Alexandri victoris id donum, neq. minus Milesios Dario rege viti*] Lips. *niti*, & Muret. Sed & distingue amplius, *Propiora Sardianos; Alexandri victoris id donum: neque minus Milesios; Dario rege niti*. Neque minus propinqua siue recentia Milesios referre, vel quid tale subintelligendum.

41 pag. 60. C. LXVI. *Iunio Othoni litterarium ludum exercere vetus ars fuit, mox Seiani potentia senator, obscura initia impudentibus ausis propolluebat*] Nic. Faber, *perpolluebat*. Hieron. Grosslotius, *propellebat*. Lipsius, *porro polluebat*. Ego denique, *protollebat*. quod valere hîc idem putem ac si esset proferebat, propagabat.

42 C. LXVII. *Non temperante Tiberio, quin premeret voce, vultu, eo quod ipse creberrime interrogabat: neque refellere, aut eludere dabatur, ac sæpe etiam confitendum erat, ne frustra quæsiuisset*] Lipsius, *& quòd*. Ego paullo aliter cum alia distinctione: *premeret voce, vultu; eoque quod ipse creberrime interrogabat, neque refellere, aut eludere dabatur.*

43 pag. 61. C. LXXII. *Simul laudibus Seianum extulit, tanquam labore vigilantiaq. eius tanta vis vnum intra damnum stetisset*] Muretus, *tanta vis ignium intra damnum*. &c. At verò vox *vnum* necessaria.

44 pag. 62. C. LXXIII. *Ne Spartaco quidem, post*

tot

tot consularium exercituum clades inultam Italiam vrenti, quamquam Sertorii atq; Mithradatis ingentibus bellis labaret Resp. datum, vt pacto in fidem acciperetur] Non damno *labaret*. Sed erit opinor, cui verbum id graue nimis videbitur, magisq; probabit, *laboraret*.

IN ANNALIVM
LIB. IV.



Ag. 64. c. II. *In ceteros metus crederetur*] Rectissimè Mercerus, *dideretur*. Hoc sensu lib. hoc ipso inferius: *Quanto maiore mole procideret, plus formidinis in alios dispergatur*. 1

c. III. *Sed magnitudo sceleris metum, prolationes, diuersa interdum consilia adferebat*] Muretus, *prolatio diuersa interdum*. Audacior hîc aliquis gradationem non vereatur: *Sed magnitudo sceleris metum, metus prolationem, prolatio diuersa interdum consilia adferebat*. Quæ tamen ipsa inclusa breuibus istis Taciti more, qui diducere tam exiliter non solet, sed cogere & in pauca verba copiosas sententias congerere. 2

pag. 65. c. V. *Dehinc initio ab Suria vsq; ad flumen Euphraten, quantum ingenti terrarum sinu ambitur, quatuor legionibus coërcitum*] L. cum Mureto, *initio ab Suria vsq; ad fium*. i. ab initio Syriæ vsque ad Euphratem. consuetudi- 3

ne apud Tacitum traiiciendi præpositiones & eiuſmodi particulas.

4 c. VII. *Quæ cuncta, non quidem comi viâ, ſed horridus ac plerumq; formidatus retinebat tamē, donec morte Druſi verterentur*] Lege, *cum vi*, veriſſimâ emendatione.

5 pag. 67. c. XII. *Atq; hæc callidis criminatoribus (inter quos* &c.*) anum ſuapte natura potentiæ anxiã, inſociabilē nurui efficiebat.*] L. *Adq; hæc*, vel, *Ac ſuper hæc*, vel, *Adhæc*. Efficiebat nempe Seianus. non enim capi poteſt de Liuia.

6 c. XIII. *Et Vibius Serenus proconſul vlterioris Hiſpaniæ de vi publica damnatus, ob atrocitatem temporum in inſulam Amorgum deportatur*] Lipſius, *damnatus ob atrocitatem morum*. Non minus veriſimiliter ad voces, & aptius fortè ad ſententiam ſcripſeris, *ob atrocitatem pœnarum*.

7 pag. 68. c. XVI. *Et quando exiret de iure patrio, qui id flaminium apiſceretur, quaque in manum flaminis conueniret. Ita medendum Senatus decreto, aut lege; ſicut Auguſtus* &c.] Lipſius vana ſuſpicione ductus defectum locum cenſet, & deeſſe, quæ ad ceremoniarum difficultatem pertinent. Ego non video cur ea inſeri neceſſe fuerit, aut vnde fuiſſe inſerta colligi poſſit. Tiberius fortè perſecutus ſit in Senatu; at Tacito ſatis fuit capita orationis perſtringere. Ceterum vt hæc cum ſuperioribus nectas, non *Et* legendum, ſed vel *Obid*, vel quid aliud in eam mentem. Cauſſas enim priori-

bus

bus recensuit cur de iure flaminis & flaminicæ nouando decernendum, quas ita claudit. Etiam hæc ipsa, malè puncto à se inuicem diuulsa, sic distingue, *Ob id quando exiret de iure patrio, qui id flaminium apisceretur, quaque in manum flaminis conueniret, ita medendum Senatus decreto.* &c.

8 c. XVII. *Ceterum in Senatu, oratione monuit in posterum, ne quis mobiles adolescentium animos, præmaturis honoribus ad superbiam extolleret*] Intelligo *mobiles*. At me herculè, si quid iudico, melius hîc, *nobiles*. quod mecum probabit, quisquis paullò accuratius omnia in rem cogitabit.

9 c. XVIII. *Amicitia Germanici perniciosa vtrique. Silio, & quòd ingentis exercitus septem per annos moderator,* &c.] Leuis distinctio, sed in quâ ad sententiæ lucem grande momentum. L. *vtrique: Silio &, quòd ingent.* &c. i. Silio etiam id perniciosum, præter amicitiã Germanici, quod &c.

10 pag. 70. c. XXIV. *Primo sui incessu soluit obsidium, locorumq; opportuna permuniuit*] *Sui* otiosum planè & nulli vsui Ausim mutare *statim*, vt lib. 11. ex *suum* idem faciebamus: *Vine militum seruum suum coërceret* &c. *Primo incessu* est, quod veteres dicebant *primo pedatu*.

11 c. XXV. *At ille dilectis circum stipatoribus, vincto q; iam filio, & effusis vndiq; Romanis, ruendo in tela, captiuitatem haud inultâ morte effugit*] Commodissimus, non abnego, sensus horũ o-

mnium. Leuiter tamen ego suspicabar, *defectis* vel *disiectis circum stipatoribus, vinctoque iam filio* &c. Ita *defectas copias* legebamus olim in Cicerone ad Atticum lib. IV. Epist. III.

12 C. XXVII. *Is disposita classiariorum copiâ, cæptantē tum maximè coniurationē disiecit*] Mur. *cæptam tum maximè*. Lego, *cæptantē cum maximè*. Illud, *cum maximè*, sæpe turbauit, & supra alibi etiā emendauimus ego, vel Muretus.

13 C. XXVIII. *Iisdem Consulibus miseriarum ac sæuitiæ exemplum atrox, reus pater, accusator filius,* (*nomen vtriq; Vibius Serenus*. Ita Muretus, & Lipsius. cuius altera traiectio verborum non probanda) *in Senatum inducti sunt, ab exsilio retractus, illuuieq; ac squallore obsitus, & tum catenâ vinctus perorante filio. Præparatur adolescens multis munditiis, alacri vultu. Structas principi insidias, missosq; in Galliā concitatores belli, index idem & testis dicebat*] Amplector in postremis magni Viri Errici Memmii coniecturā: *perorante filio pater. Paratus adolescens* &c. Sed ego amplius totum locum distinctione iuuo, & vocē *Stabat* occasione similium aliquot à fronte & tergo litterarū perditam insero, deniq; pro *& tū, etiam* scribo. Leg. *in Senatū inducti sunt. Stabat ab exilio retractus, illuuieq; ac squallore obsitus, etiam catena vinctus perorante filio pater: paratus adolescens multis munditiis, alacri vultu, structas principi insidias* &c.

14 pag. 71. *Adseuerabatq; innocentem Cornutum, & falsa exterritum*] Muretus legit *falso*. Ego etsi raram locutionem, & quam in Tacito

nostro

noſtro non legiſſe me memini, non audeam mutare: tamen ſuſpicor legendum, *Et per falſa exterritum.*

c. xxx. *Dictis dein ſententiis vt Serenus more* 15
maiorum puniretur, quo molliret inuidiam interceſſit. Gallus Aſinius, Gyaro aut Donuſâ claudendum cenſere. id quoq; aſpernatus eſt. &c.] Rectè ita Lipſius ſolâ diſtinctione locum iuuit. Muret. tamen vult, *Interceſſit. cum Gall. Aſin. G.a.D.c.cenſeret, id q.a.* &c.

c. xxxii. *Nobis in arto, & inglorius labor. Im-* 16
mota quippe aut modicè laceſſita pax, mæſtæ vrbis res, & princeps proferendi imperii incurioſus erat] Verbum poſtremum à Tacito non eſſe perſuaſus ſum. Deleo, & in aliũ ſenſum diſtinguo: *inglorius labor. immota quippe a. m. l. p.* &c. Vt per figuram omnia nectantur cum voce *labor*, quam Grammatici Appoſitionem vocant.

pag. 72. c. xxxiii. *Sic conuerſo ſtatu, neq; aliâ* 17
rerũ, quam ſi vnus imperitet, hæc conquiri tradique in rem fuerit] Lipſius rectiſſimè, *neq; aliâ re Rom.* Poterat tamen traiectio vſurpari: *Sic conuerſo neque alio rerum ſtatu, quam ſi vnus* &c. Muretus quid voluerit, cum mutaret, *atque alea rerum, cum ſi vnus,* non extrico.

Nos ſæua iuſſa, continuas accuſationes, falla- 18
ces amicitias, perniciem innocentium, & eaſdem exitu cauſſas coniungimus; obuiâ rerum ſimilitudine & ſatietate] Non mutem: *Obuiâ ex rerum ſ. ſ.*

At multorum qui Tiberio regente pœnam vel 19

infamiam subiêre posteri manent. vtque familiæ ipsæ iam exstinctæ sint; reperies qui ob similitudinem morum, aliena malefacta sibi obiectari putent. Etiam gloria ac virtus infensos habet; vt animus ex propinquo diuersa arguens] Verè & eleganter Muretus, *Vt nimis ex p.d.a.*

20 c.XXXIV. *Messalla Coruinus, imperatorem suum Caßium prædicabat: & vterq́ opibusq́ atque honoribus peruiguêre*] Dele n *que* appensum voci *opibus*. ne tam confragosa oratio sit ex crebrà nimis eiusdem particulæ iteratione.

21 *Namque spreta exolescunt: si irascare, adgnita videntur*] Non ita benè Muretus, *Namque spreta exolescunt, si irascare, a.v.*

22 pag.74.c.XLI. *Rursum Seianus non tam de matrimonio, sed altius metuens tacita suspicionum: vulgi rumorem, ingruentem inuidiam deprecatur*] Lego, *Non iam*.& Muret.ita.

23 *Et minui sibi inuidiam, ademtâ salutantium turbâ; sublatisque inanibus, verâ potentiâ augere*] Muretus, *veram potentiam aug.* Est alioqui alterum eadem significatione, nec minus venustum: nisi fortè hîc concinnius hoc putabimus, quia præcessit, *inuidiam minui*, cui magis respondeat, *potentiam augere.*

24 c.XLII. *Ac forte habita per illos dies de Votieno Montano celebris ingenii viro cognitio contantem iam Tiberium perpulit, vt vitandos crederet patrum cœtus vocesq́*] L. *nutantem*. Etiam sic Muret.

pag.77.

pag. 77. c. LI. *Vbi tandem coacta deditio, & 25
proxima sponte inimicorum recepta. reliquis, quo minus vi aut obsidio subigerentur* &c.] L. *deditio. & proxima sponte incolarum recepta.* Etiam Muret.

c. LII. *Non in effigies mutas diuinum spiri* 26
tum transfusum: sed imaginem veram cœlesti sanguine ortam intelligere discrimen, suscipere sordes.] Muretus, *se imaginem veram* &c. Recte.

c. LIII. *Subueniret solitudini, daret mari-* 27
*tum; habilem adhuc iuuentam sibi, neque aliud probis quam ex matrimonio solatium: esse in ciuitate, * Germanici coniugem: ac liberos eius recipere dignaretur*] Desperatus Lipsio locus: nec se ei medicum, nec eum ipsum (nescio si Muretum tangit; qui sic sane voluit legere) qui esse iactet, legatque, *esse in ciuitate, qui Germanici coniugem, ac liberos eius recipere dignaretur.* Offendor hercle & ipse in sententia. Non enim ita demissi animi Agrippina, vt sic de se: potius, *esse in ciuitate, quem Germanici coniugem ac liberos eius recipere dignaretur.* hoc sensu, esse, quem dignaretur seu dignum haberet, vt Germanici coniugem liberosque reciperet. Qui tamen ipse sensus etiam fieri ex altera illa lectione potest, si *dignaretur* passiuè accipias, dignus haberetur; qui censeretur dignus recipere Germanici coniugem & liberos. Nam hoc omnino videtur velle, Inueniri etiam se dignum maritum in vrbe posse.

imitanda posteris tulit. verùm hæc nobis maiores certamina ex honesto maneant] Lipsius funestum hunc locum iam olim conclamauit. Idem tamen tentat, *nobis in maiores*: sed medicina, vt fatetur ipse, quæ huic mortuo non faciet vitam. Tentabo & ego, nec scio an depositum excitabo. L. *posteris tulit: quorum hæc nobis in maiores certamina ex honesto maneant*. Optat Tacitus vt sui sęculi morem certandi cum maioribus posteri etiam in se æmulentur. *Nobis maneant certamina*, phrasis nota & perspicua.

32 cap. LVII. *Dixitque pro sententia, vt publicis priatisve monimentis*] Muret. *Priuatisq;*. Rectius.

33 C. LVIII. *Neque aliud suum, quàm Martialium, Quirinaliumque Flaminum: porrò si hi duxissent prouincias, cur Dialibus id vetitum?*] Suspectum aliis, & ut aiunt, non dubiè corruptum verbum. Et Lipsius, quoque in phrasi offendit, *Ducere prouincias*. mutatq., *si hi duo rexissent*: vel, *si hi direxissent*. Mihi sanus & integer locus: proba phrasis videtur. *Ducere prouincias* subintellige *sorte*, vt idem sit quod sortiri prouincias. Et hic *Seruius vt Asiam* (verba sunt Taciti ipsius) *sorte haberet postulabat*.

34 *Summum Pontificum & summum hominum esse, non æmulatione, non odio, aut privatis affectionibus obnoxium*] L. *æmulationi*. & ita quoque Muretus. Ego tamen amplius *Aut* deleuerim. L. *non æmulationi, non odio, priuatis adfecti-*

fectionibus obnoxium. Lector ſerius probabit.

c. lix. *Eò decurſum eſt, vt Pontificis Max. ſententiam opperirentur, Tiberius, dilata notione de iure Flaminis, decretas ob tribuniciam Druſi poteſtatem ceremonias temperauit*] Claude ſententiam puncto, *opperirentur. Tiberius, dilata* &c. 35

Bellum (vel *Bello*) *ſcilicet, aut diuerſo terrarum diſtineri, litora & lacus Campaniæ tum maxime peragrantem*] Vtrumque, ſiue *bellum* ſiue *bello* legas, rectum. Muret. *cum maximè*. Rectius. 36

pag. 59. c. lxii. *Proximo Magnetes, L. Scipionis, & L. Sylla conſtitutis nitebantur: quorum ille Antiocho, hic Mithridate pulſis, fidem atque virtutem Magnetum decorauere, vti Dianæ Leucophrynæ perfugium inuiolabile foret*] Malo, *decorauerit*. Imò melius eſſet, *decorauiſſent*. atque etiam *Proximi*. vt reſpiciatur quod anteceſſit, *Primi omnium Epheſii adiêre*. 37

Et ſtatim eodem modo vbi nunc ſcribitur, *Aphrodiſienſes poſthac & Stratonicenſes* &c. ſcribam, *poſt hos*. 38

Aphrodiſienſes poſthac (L. *poſt hos*) *& Stratonicenſes dictatoris Cæſaris ob vetuſta in partes merita, & recens diui Auguſti decretum attulêre. Laudati* (melius videtur, *attulêre, laudantis*) *quod Parthorum irruptionem, nihil mutatâ in Pop. Roman. conſtantiâ, pertuliſſent. Sed Aphrodiſienſium ciuitas, Veneris; Stratonicenſium, Iouis* 39

& Triviæ religionem tuebantur] Muretus *Sed* deiicit. Ego lego, *pertulissent: seq. & Aphr.c. Veneris; St. Io. & Triviæ religione tuebantur.*

40 c.LXIII. *Propiora Sardianos, Alexandri victoris id donum, neque minus Milesios Dario rege vti*] Lipsius *niti*, & Muret. Sed & distingue amplius, *Propiora Sardianos; Alexandri victoris id donum: neque minus Milesios; Dario rege niti.* Neque minus propinqua siue recentia Milesios referre, vel quid tale subintelligendum.

41 pag. 60. c.LXVI. *Iunio Othoni litterarium ludum exercere vetus ars fuit, mox Seiani potentia senator, obscura initia impudentibus ausis propolluebat*] Nic. Faber, *perpolluebat*. Hieron. Grosotius, *propellebat*. Lipsius, *porro polluebat*. Ego denique, *protollebat*. quod valere hîc idem putem ac si esset proferebat, propagabat.

42 c.LXVII. *Non temperante Tiberio, quin premeret voce, vultu, eo quod ipse creberrime interrogabat: neque refellere, aut eludere dabatur, ac sæpe etiam confitendum erat, ne frustra quæsiuisset*] Lipsius, *& quòd*. Ego paullo aliter cum alia distinctione: *premeret voce, vultu; eoque quod ipse creberrime interrogabat, neque refellere, aut eludere dabatur.*


43 pag. 61. c.LXXII. *Simul laudibus Seianum extulit, tanquam labore vigilantiaque eius tanta vis vnum intra damnum stetisset*] Muretus, *tanta vis ignium intra damnum*. &c. At verò vox *vnum* necessaria.

44 pag. 62. c.LXXIII. *Ne Spartaco quidem, post*

tot

tot consularium exercituum clades inultam Italiam vrenti, quamquam Sertorii atq; Mithradatis ingentibus bellis labaret Resp. datum, vt pacto in fidem acciperetur] Non damno *labaret.* Sed erit opinor, cui verbum id graue nimis videbitur, magisq; probabit, *laboraret.*

IN ANNALIVM
LIB. IV.



Pag. 64. c. II. *In ceteros metus crederetur*] Rectissimè Mercerus, *dideretur.* Hoc sensu lib. hoc ipso inferius: *Quanto maiore mole procideret, plus formidinis in alios dispergatur.* 1

c. III. *Sed magnitudo sceleris metum, prolationes, diuersa interdum consilia adferebat*] Muretus, *prolatio diuersa interdum.* Audacior hîc aliquis gradationem non vereatur: *Sed magnitudo sceleris metum, metus prolationem, prolatio diuersa interdum consilia adferebat.* Quæ tamen ipsa inclusa breuibus istis Taciti more, qui diducere tam exiliter non solet, sed cogere & in pauca verba copiosas sententias congerere. 2

pag. 65. c. V. *Dehinc initio ab Suria vsq; ad flumen Euphraten, quantum ingenti terrarum sinu ambitur, quatuor legionibus coërcitum*] L. cum Mureto, *initio ab Suria vsq; ad flum.* i. ab initio Syriæ vsque ad Euphratem. consuetudi- 3

ne apud Tacitum traiiciendi præpositiones & eiusmodi particulas.

4 c. VII. *Quæ cuncta, non quidem comi viâ, sed horridus ac plerumq; formidatus retinebat tamē, donec morte Drusi verterentur*] Lege, *cum vi*, verissimâ emendatione.

5 pag. 67. c. XII. *Atq; hæc callidis criminatoribus (inter quos &c.) anum suapte natura potentiæ anxiā, insociabilē nurui efficiebat.*] L. *Adq; hæc*, vel, *Ac super hæc*, vel, *Adhæc*. Efficiebat nempe Seianus. non enim capi potest de Liuia.

6 c. XIII. *Et Vibius Serenus proconsul vlterioris Hispaniæ de vi publica damnatus, ob atrocitatem temporum in insulam Amorgum deportatur*] Lipsius, *damnatus ob atrocitatem morum*. Non minus verisimiliter ad voces, & aptius fortè ad sententiam scripseris, *ob atrocitatem pœnarum*.

7 pag. 68. c. XVI. *Et quando exiret de iure patrio, qui id flaminium apisceretur, quæque in manum flaminis conueniret. Ita medendum Senatus decreto, aut lege; sicut Augustus* &c.] Lipsius vana suspicione ductus defectum locum censet, & deesse, quæ ad ceremoniarum difficultatem pertinent. Ego non video cur ea inseri necesse fuerit, aut vnde fuisse inserta colligi possit. Tiberius fortè persecutus sit in Senatu; at Tacito satis fuit capita orationis perstringere. Ceterum vt hæc cum superioribus nectas, non *Et* legendum, sed vel *Obid*, vel quid aliud in eam mentem. Caussas enim priori-

bus

bus recensuit cur de iure flaminis & flaminicæ nouando decernendum, quas ita claudit. Etiam hæc ipsa, malè puncto à se inuicem diuulsa, sic distingue, *Ob id quando exiret de iure patrio, qui id flaminium apisceretur, quaque in manum flaminis conueniret, ita medendum Senatus decreto.* &c.

c. XVII. *Ceterum in Senatu, oratione monuit in posterum, ne quis mobiles adolescentium animos, præmaturis honoribus ad superbiam extolleret*] Intelligo *mobiles.* At me herculè, si quid iudico, melius hîc, *nobiles.* quod mecum probabit, quisquis paullò accuratius omnia in rem cogitabit. 8

c. XVIII. *Amicitia Germanici perniciosa vtrique. Silio, & quòd ingentis exercitus septem per annos moderator,* &c.] Leuis distinctio, sed in quâ ad sententiæ lucem grande momentum. L. *vtrique: Silio &, quòd ingent.* &c. i. Silio etiam id perniciosum, præter amicitiā Germanici, quod &c. 9

pag. 70. c. XXIV. *Primo sui incessu soluit obsidium, locorumq; opportuna permuniuit*] *Sui* otiosum planè & nulli vsui. Ausim mutare *statim*, vt lib. 11. ex *suum* idem faciebamus: *Vine militum seruum suum coërceret* &c. *Primo incessu* est, quod veteres dicebant *primo pedatu.* 10

c. XXV. *At ille dilectis circum stipatoribus, vinctoq; iam filio, & effusis vndiq; Romanis, ruendo in tela, captiuitatem haud inultâ morte effugit*] Commodissimus, non abnego, sensus horū o- 11

mnium. Leuiter tamen ego suspicabar, *defectis* vel *disiectis circum stipatoribus, vinctoque iam filio* &c. Ita *defectas copias* legebamus olim in Cicerone ad Atticum lib. IV. Epist. III.

12 c. XXVII, *Is dispositâ classiariorum copiâ, cœptante tum maximè coniuratione disiecit*] Mur. *cœptam tum maximè*. Lego, *cœptante cum maximè*. Illud, *cum maximè*, sæpe turbauit, & supra alibi etiā emendauimus ego, vel Muretus.

13 c. XXVIII. *Iisdem Consulibus miseriarum ac sæuitiæ exemplum atrox, reus pater, accusator filius, (nomen vtriq; Vibius Serenus.* Ita Muretus, & Lipsius. cuius altera traiectio verborum non probanda) *in Senatum inducti sunt, ab exsilio retractus, illuuieq; ac squallore obsitus, & tum catenâ vinctus perorante filio. Preparatur adolescens multis munditiis, alacri vultu. Structas principi insidias, missosq; in Galliā concitatores belli, index idem & testis dicebat*] Amplector in postremis magni Viri Errici Memmii coniecturā: *perorante filio pater. Paratus adolescens* &c. Sed ego amplius totum locum distinctione iuuo, & vocē *Stabat* occasione similium aliquot à fronte & tergo litterarū perditam insero, deniq; pro *& tū*, *etiam* scribo. Leg. *in Senatū inducti sunt. Stabat ab exilio retractus, illuuieq; ac squallore obsitus, etiam catena vinctus perorante filio pater: paratus adolescens multis munditiis, alacri vultu, structas principi insidias* &c.

14 pag. 71. *Adseuerabatq; innocentem Cornutum, & falsa exterritum*] Muretus legit *falso*. Ego etsi raram locutionem, & quam in Tacito

nostro

noſtro non legiſſe me memini, non audeam mutare: tamen ſuſpicor legendum, *Et per falſa exterritum.*

c. xxx. *Dictis dein ſententiis vt Serenus more* 15 *maiorum puniretur, quo molliret inuidiam interceſſit. Gallus Aſinius, Gyaro aut Donuſâ claudendum cenſere. id quoq; aſpernatus eſt.* &c.] Rectè ita Lipſius ſolâ diſtinctione locum iuuit. Muret. tamen vult, *Interceßit. cum Gall. Aſin. G. a. D. c. cenſeret, id q. a.* &c.

c. xxxii. *Nobis in arto, & inglorius labor. Im-* 16 *mota quippe aut modicè laceſſita pax, mæſta vrbis res, & princeps proferendi imperii incurioſus erat*] Verbum poſtremum à Tacito non eſſe perſuaſus ſum. Deleo, & in aliũ ſenſum diſtinguo: *inglorius labor: immota quippe a. m. l. p.* &c. Vt per figuram omnia nectantur cum voce *labor*, quam Grammatici Appoſitionem vocant.

pag. 72. c. xxxiii. *Sic conuerſo ſtatu, neq; aliâ* 17 *rerũ, quam ſi vnus imperitet, hæc conquiri tradique in rem fuerit*] Lipſius rectiſſimè, *neq; aliâ re Rom.* Poterat tamen traiectio vſurpari: *Sic conuerſo neque alio rerum ſtatu, quam ſi vnus* &c. Muretus quid voluerit, cum mutaret, *atque alea rerum, cum ſi vnus*; non extrico.

Nos ſæua iuſſa, continuas accuſationes, falla- 18 *ces amicitias, perniciem innocentium, & eaſdem exitu cauſſas coniungimus; obuiâ rerum ſimilitudine & ſatietate*] Non mutem: *Obuiâ ex rerum ſ. ſ.*

At multorum qui Tiberio regente pœnam vel 19

infamiam subiêre posteri manent. vtque familiæ ipsæ iam exstinctæ sint; reperies qui ob similitudinem morum, aliena malefacta sibi obiectari putent. Etiam gloria ac virtus infensos habet, vt animus ex propinquo diuersa arguens] Verè & eleganter Muretus, *Vt nimis ex p.d.a.*

20 c.XXXIV. *Messalla Coruinus, imperatorem suum Cassium prædicabat: & vterq; opibusq; atque honoribus perniguêre*] Dele τὸ *que* appensum voci *opibus*. ne tam confragosa oratio sit ex crebrà nimis eiusdem particulæ iteratione.

21 *Namque spreta exolescunt: si irascare, adgnita videntur*] Non ita benè Muretus, *Nam quæ spreta exolescunt:, si irascare, a.v.*

22 pag.74. c.XLI. *Rursum Seianus non tam de matrimonio, sed altius metuens tacita suspicionum: vulgi rumorem, ingruentem inuidiam deprecatur*]Lego, *Non iam*.& Muret.ita.

23 *Et minui sibi inuidiam, ademtâ salutantium turbâ; sublatisque inanibus, verâ potentiâ augere*] Muretus, *veram potentiam aug.* Est alioqui alterum eadem significatione, nec minus venustum: nisi fortè hîc concinnius hoc putabimus, quia præcessit, *inuidiam minui*, cui magis respondeat, *potentiam augere*.

24 c.XLII. *Ac forte habita per illos dies de Votieno Montano celebris ingenii viro cognitio contantem iam Tiberium perpulit, vt vitandos crederet patrum cœtus voceſq;*] L. *nutantem*.Etiam sic Muret.

pag.77.

pag. 77. c. L I. *Vbi tandem coacta deditio, & proxima ſponte inimicorum recepta, reliquis, quo minus vi aut obſidio ſubigerentur* &c.] L. *deditio. & proxima ſponte incolarum recepta.* Etiam Muret. 25

c. L I I. *Non in effigies mutas diuinum ſpiritum transfuſum: ſed imaginem veram cæleſti ſanguine ortam intelligere diſcrimen, ſuſcipere ſordes.*] Muretus, *ſe imaginem veram* &c. Recte. 26

c. L I I I. *Subueniret ſolitudini, daret maritum, habilem adhuc iuuentam ſibi, neque aliud probis quam ex matrimonio ſolatium: eſſe in ciuitate, * Germanici coniugem: ac liberos eius recipere dignaretur*] Deſperatus Lipſio locus: nec ſe ei medicum, nec eum ipſum (neſcio ſi Muretum tangit, qui ſic ſane voluit legere) qui eſſe iactet, legatque, *eſſe in ciuitate, qui Germanici coniugem, ac liberos eius recipere dignaretur.* Offendor hercle & ipſe in ſententia. Non enim ita demiſſi animi Agrippina, vt ſic de ſe: potius, *eſſe in ciuitate, quem Germanici coniugem ac liberos eius recipere dignaretur.* hoc ſenſu, eſſe, quem dignaretur ſeu dignum haberet, vt Germanici coniugem liberoſque reciperet. Qui tamen ipſe ſenſus etiam fieri ex altera illa lectione poteſt, ſi *dignaretur* paſſiuè accipias, dignus haberetur; qui cenſeretur dignus recipere Germanici coniugem & liberos. Nam hoc omnino videtur velle, Inueniri etiam ſe dignum maritum in vrbe poſſe. 27

28 pag. 78. c. LVI. *Et quia Lepidus ipse diligi se per modestiam abnuebat, Valerius Naso è praetoriis sorte missus est*] Certa, quam ponit & probat Lipsius, Merceri lectio, *diligi a se*. Muretus tamen vocem *Lepidus* delebat. alio sensu. tanquam ipse Vibius Marsus, qui de legato super numerum censuerat, se diligi abnuerit. Et hercle mouet me in hanc sententiam vocula *Ipse*. quae si de Lepido capienda, non videtur addenda necessariò fuisse. Nisi tamen aliquis etiam *Ipso* audeat mutare: *Et quia Lepidus ipso diligi à se*, id est à se ipso diligi. Omninò si *ipse* de Lepido dictum, dixisset potius Tacitus: *Et quia Lepidus ab se diligere per modestiam abnuebat.* Venit in mentē *Ipse* mutari posse *ab se*; & concinnari aliter verba in hunc modum: *Et quia Lepidus ipse diligi quasi per modestiam abnuebat.* *Quasi* perire facillimum fuit. Nihil tamen definio.

29 pag. 79. c. LIX. *Adsimulabatq; iudicis partes aduersus Germanici stirpem, subditis qui accusatorum nomina sustinerent*] L. *Indicis*. atque ita Muretus.

30 c. LX. *Sed interdum voces procedebant contumaces & inconsultae: quas adpositi custodes exceptas auctasque cum deferrent, neque Neroni defendere daretur, diuersae insuper solicitudinum formae oriebantur*] Certum mihi post vocem *daretur*, pauca quaedam deesse, quae illam periodum absoluant. Ab integro enim scribenda sequentia, quae cum superioribus necti in vnam periodum nequeunt: *Diuersae insuper solicitudinum*

dinum formæ oriebantur. nam alius occursum e-ius vitare, quidam salutatione redditâ statim a-uerti. &c.

pag. 80. c. LXV. *Mox Cœlium appellitatum à Cœle Vibenna, qui dux gentis Etrusca cum auxilium appellatum duxisset; sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco, seu quis alius Regum dedit*] Lipsius vocem *Appellatum* vt è superiore linea repetitam delet, & è Medicæi Codicis scriptura *tauisset, tulisset* rescribit. Planè ita quoque Muretus. Et fortè verè. Tamen videatur non incommodè mutari posse; *cum auxiliũ ad bella tum duxisset.* Vel, *ad bella Rom.* i. Romana vel Romanis. 31

c. LXVI. *Sed vt studia procerũ & largitio principis aduersum casum solatium tulerant*] Muret. elegantèr, *aduersis casuum tulerant.* Confer cum loco libri III. *Illustrium domuum aduersa solatio adfecit D. Silanus.* 32

pag. 81. c. LXVIII. *Fig. sermones tanquã vetita miscuissent, speciem artæ amicitiæ facere*] Muret. *fecêre* mauult. 33

c. LXIX. *Eadem ille & diutius; quando mæsta, vbi semel prorupêre, difficilius reticentur*] Muret. *quanto.* Probè ad Taciti morem. 34

Non alias magis anxia & pauens ciuitas, etiã aduersum proximos] Vetus scriptura, *Egens.* Vnde Lipsius *tegens.* Sed mehercule etiam illud *Etiam* orationi necessarium est. Retineam ego & paullò aliter etiam scribam: *Non alias magis anxia & pauens ciuitas tegere se etiam aduersum proximos: congressus, colloquia, notæ ignotæq; au-* 35

res vitari: etiam muta atque inanima, tectum & parietes circumspectabantur. Quod postremum verbũ muto, nec sine ratione, *Suspectabantur.*

36 C. LXX. *Sed Cæsar solennia incipientis anni Kalen. Ianuarias, epistolâ precatus, vertit in Sabinũ, corruptos* &c.] Lipsius mutat *præfatus*. Ego scribo, *solennia incipientis anni, Kalen. Ianuariis epistola precatus.* Solennia incipientis anni precari, est precari ea quæ solenniter anno incipiente solent. Plinius, cuius locum adducit Lipsius, stabilit nostram lectionem: *Primum incipientis anni diem lætis precationibus inuicem faustum ominamur.*

37 *Vertit in Sabinum, corruptos quosdam libertorum, & petitum se arguens, vltionemq; haud obscurè poscebat*] Lego, *petitum*, deletâ copulâ *que* adnexâ voci *vltionem*.

38 *Sic inchoari annum, has Seiano victimas cadere. quò intendisset oculos, quò verba acciderent, fuga, vastitas: deseri itinera, fora*] Muret. *quoquò intendisset oculos, quoquò verba acciderent.* Rectius. Porrò diuerso characterum genere exprimi non hæc & sequentia debebant, sed tantum paucula illa, *Sic inchoari annum, has Seiano victimas cadere.* Illa enim verba sunt clamitantis Sabini. Reliqua narratio Taciti.

39 *Ostentabantque se rursum, idipsum pauentes, quod timuissent. Quem enim diē vacuum pœna, vbi inter sacra & vota, quo tempore verbis etiam profanis abstineri mos esset, vincla & laqueus inducantur*] Mirum, nî ante isthæc, *Quem.n.diē*, hiatus

hiatus aliquis est. Neq; enim aptè satis hæc per particulam *Enim* præcedentibus subduntur. Si nihil absit, nec omnino abesse quid putē, mutem eam ipsam particulam, vel, *Quem iam diē*, vel, *Quem exin diem vacuum pœna* &c.

pag.82.c.LXXI. *Eò agrius accepit, recludi, quæ premeret. Sed mitigauit Seianus, non Galli amore, verum vt cõtationes principis aperirentur: gnarus lentum in meditando, vbi prorupisset, tristibus dictis atrocia facta coniungere*] Illud *aperirentur* palàm spernit sententia. Muretus *opperiretur*. quod ego habeo verum, & videntur euincere, quæ statim ei verbo adduntur. 40

IN ANNALIVM
LIB. V.

Pag.84.c.II. *Dicax idem, & Tiberium acerbis facetiis irridere solitus, quarum apud præpotentes in longum memoria est*] Vera sententia & fortè lectio. Ego tamen suspicabar, *apud impotentes.* qualis certè Tiberius. Curtius libr. quarto: *Non tenuit iram Alexander, cuius alioqui potens non erat.* lib. IV. histor. Tacit. *Nuptias suas abnuentem impotens amoris interfecerat.* Vbi tamen & *impatiens* poterat legi. Vt Suetonius Calig. XXIV. *Impatientem mæroris* dicit. 1.

2 c. III. *Missaq; in Agrippinam & Neronem litteras, quas pridem allatas & cohibitas ab Augusta credidit vulgus*] Malo, *sed.*

3 c. IV. *Inserere se dubitantibus, ac monere Consules, ne relationem inciperent*] Lego, *Monere.*


4 *Circumsistit curiam, festisq; in Cæsare ominibus falsas litteras, & principe inuito exitiū domui eius intendi clamitat*] Muret. *faustisq;*. Sanè id melius. Nec id lib. I. *Faustis in Germanicum ominibus*, mutari à Lipsio velim, qui mauult *nominibus*. Etiā in Suetonii loco Calig. XIII. quē Lipsius adfert, non *nomina*, sed *omina* legendum. At dubito etiamnum de illo lib. XII. loco, ad finem, *Vbi monente præfecto, festis vocibus exceptus, inditur lecticæ.* Dubito inquam an & hîc *faustis* potius scribendum. Petrus Faber vbique in Tacito *faustis* legendum censet: & multa multorum similia loca congerit & corrigit lib. de Magistratu Romano. Sed Lucanus lib. III. *non omina festa*

5 *Non fictas læto voces simulare tumultu.*

pag. 85. c. X. *Et erat iuuenis haut dispari ætate, quibusdam Cæsaris libertis velut agnitus, per dolumq; comitantibus*] Muret. *per dolum comitantibus*. Sanè si *que* retines, potius erat legi, *per dolumq; comitatus.*

IN

IN ANNALIVM LIB. VI.



PAg.86.c.11. *Et bona Seiani ablata ærario, vt in fiſcum cogerentur, tum rettulêre Scipiones. Hæc & Silani & Caſſii*] Deeſſe quædam Lipſius putat; idem tamen tegere, ſi non ſanare, vulnus tentat: *vt in fiſcum cogerentur Coſſ. rettulêre. Scipiones hæc & Caſſii* &c. Conſulum enim relatio tantum, cenſio Senatorum. At ego non deeſſe, ſed ſupereſſe etiam quædam contenderim. Verba *tum rettulêre* omnino ſuperuacua, & tollenda. Nihil enim hîc de relatione, cuius ex ſola mentione argumentum defectus Lipſius ſumebat: ſed de ſententiarum dictione, quæ in relationibus Conſulum, captata occaſione, ſiue etiã præter rem, à Senatorib. vſurpabantur. At aliquis Tacito non aſſuetus cum hiare ſermonem putaret, has voculas de ſuo inſeruit. Plena.n.oratio, ſi quod neceſſe eſt, ad illa ipſa verba, *Et bona ablata ærario vt in fiſcum cogerentur*, ex ſuperioribus iſta mente repetas, *ſententiæ dicebantur.* Locum ergo totum ſic ſcribe: *At Romæ principio anni, quaſi recens cognitis Liuiæ flagitiis, ac non pridem etiam punitis, atroces ſententiæ dicebantur, in effigies quoque ac memoriam eius: & bona Seiani ablata ærario vt in fiſcum cogerentur. Scipiones hæc & Silani & Caſſii, iiſdem fermè aut paulum* 1

immutatis verbis adseueratione multa censebant, cum repente Togonius Gallus &c.

2 pag.87.c.111. *Quid illi cum militibus? quos neq; dicta Imperatoris, neq; præmia nisi ab Imperatore accipere par esset*] Vocem *Imperatoris* inducit Lipsius. Muretus legit *edicta*. Neutri adhuc planè adsentior: magis tamen Lipsio. Sed fuerit fortè etiam, *quos neque edicta nisi Imperatoris, neq; præmia nisi ab Imperatore* &c.

3 c.IV. *Vt vero Latinium Latiarem ingressus est, accusator ac reus, iuxta inuisi, gratissimum spectaculum præbebatur*] Ita eleganter Lipsius, quomodò & Muretus notauerat. Sed idem Lipsius malè, quod *aggressus* mutat. *Ingressus est* valet, cœpit nempe indicare. Sic sæpe alibi absolutè hoc verbum magnâ cum gratiâ. Lib. XI. *Ingressus defensionem* &c. non procul initio. Lib. XVI. *Atque interim Ostorius Sabinus Sorani accusator ingreditur orditurque de amicitia Rubellii Plauti* &c. At ego lubenter ad concinnitatem maiorem, verba velim transponere: *Vt v. Lat. Lat. ingressus est, gratissimum spectaculum præbebatur, accusator ac reus iuxta inuisi. Latiaris vt retuli* &c. Quo ordine Tacitum scripsisse, ego pro me certò credo, nec idem affirmare aliis dubitarim.

4 *Metum prorsus & noxam conscientiæ pro fœdere haberi*] Non ego Groslotio dissentio, qui elegantissimè, *& noxa conscientiam*. Posse tantum dico etiam, *metum prorsus ex noxa conscientia*, vel potius, *ex noxa conscientiæ*. Sed

non

non æquè eleganter. *Habere* cum Lipſio an *haberi* cum vulgo ſcribas, puto nihil intereſſe.

Regulus manere tempus vltionis, ſeque coram principe exſecuturum] Neque hoc muto. ſatis enim clarum. clarius tamen: *Regulus, manere tempus vltionis ſe: quippe coram principe exſecuturum.* 5

c. v. *Arguitur pleraq;. C. Cæſarem quaſi inceſtæ virilitatis, & cum die natali Auguſti inter ſacerdotes epularetur, nouendialem eam cœnam dixiſſe*] Lipſius in hunc locum nihil ſani. Vnius particulæ *In* additione Muretus pulcherrimè plagam hanc pænè deſperatam ſanat: *Arguitur pleraq; in C. Cæſarem quaſi* &c. Nihil verius. & conuenit reliqua ſtructura optimè, quam nimis torquet & contorquet Lipſius. 6

c. vi. *Neq; fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt*] Muret. *Adfirmare.* 7

pag. 88. c. vii. *Quintus Seruaus poſthac, & Minutius Thermus inducti*] Melius hic diuiſim, *poſt hac.* 8

Neq; diſcerneres alienos à coniunctis, amicos ab ignotis, quid repens, aut vetuſtate obſcurum] Muretus, *Recens.* Legitur iv. hiſtor. tamen, *Cum accurſu tot prouinciarum exſtingui repens perfidia potuerit.* 9

Perinde in foro, in conuiuio, quaq; de re locuti incuſabantur, vt quis præuenire & reum deſtinare properat] Non abiecerim inquit Lipſius, *Poterat.* Imò recipiendum hoc omnino, altero abiecto. 10

11 c. VIII. *Ne P. C. vltimum Seiani diem, sed sexdecim annos cogitaueritis, etiam Satrium atque Pomponium venerabamur* &c.] Sententia puncto post *cogitaueritis* finienda.

12 pag. 89. c. X. *Quâ occupandæ Reip. argui non poterant*] Mur. *Quia.*

13 c. XI. *Feruntq; ab Romulo Dentrem Romulium*] Muret. notauerat, *Dentrem Liuium.*

14 *Sumsit è Consularibus qui coërceret seruitia. & quod ciuiũ turbidũ nisi vim metuat*] Ad sensus lucem distingue, *seruitia, & quod ciuium turbidum, nisi vim* &c.

15 pag. 90. c. XIV. *Sanus repertus apud fretum Siciliæ, retractusq; per Centurionem*] Suspectum Lipsio, etiam Mureto τὸ *Sanus*: quorum ille loci aliquod nomen latere sub eo censet. Potest ita esse. At illud dum inueniatur, interim *Sanè* legamus: quod si nexum præcedentium sequentiumque consideras, valdè quadrat. Nec fortè aliter Tacitus scripserit. Sic paullò infra, *Sanè vetus vrbi fœnebre malum.*

16 c. XV. *Flexit ad grauiora & offensiones ob Remp. cœptas*] Muret. *susceptas.* Certè melius. At paullò ante, *Redditis absentiæ caussis admodum vagis*, caue cum Lipsio postremam vocem mutes *Vanis*, aut quocunque alio modo. Tacitus lib. XV. idem verbi repetit: *Atque ipse mæstus & magnæ cogitationis manifestus erat, quamuis lætitiam vagis sermonibus simularet.*

17 c. XVI. *Dein rogatione Tribuniciâ ad semun-*

cias

cius redacta: postremo vetita versura] Rectius *vsura*. quod idē Muretus credo voluit, cuius in libro sic iugulatas priores literas inueni, *versura*.

c. XVII. *Euersio rei familiaris dignitatem ac famam preceps dabat*] Muret. addit *in præceps*. rectè. 18

p. 91. c. XIX. *Aurariasq; eius, quanquam publicarentur, sibimet Tiberius sepofuit*] Copulam in voce *Aurarias* saltem delet Muretus: nec forte quid amplius deest, vt suspicantur. 19

c. XX. *Immanem animum subdolâ modestiâ tegens non damnatione matris, non exsilio fratrū ruptâ voce, qualem diem Tiberius induisset, pari habitu, haud multum distantibus verbis*] Deponit hunc locum Lipsius. Quantum sententiam assequor, ea fuit, ac si scriptum, *non exsilio fratrum ruptâ voce, vultu, qualem Tiberius induisset, pari habitu* &c. Quæ vox excidere facillimè quidem potuit. 20

c. XXI. *Et quantum introspiceret, magis ac magis trepidus admirationis ac metus*] Lege, *quantò*. 21

Tum complexus eum Tiberius, præscium periculorum & incolumem fore gratatur] Malim, *præsc. periculorum, sed inc. fore, gratatur*. 22

pag. 92. c. XXII. *Ceterùm plurimis mortalium non eximi*] Mur. *eximas*. Lips. in Comment. *eximis*. Illud malim præ hoc. Sic Lips. in prima edit. nisi sic etiam in postremâ voluit, & mendum tantum typographi est. 23

c. XXIII. *Tradidêre quidam, descriptum Macroni* &c.] Lege, *præscriptum*. & sic Muretus. 24

c. XXIV. *Vt quemadmodum nurum, filium fra-* 25

tris, & nepotes, domumque omnem cædibus compleuisset: ita pœnas nomini generique maiorum & posteris exsolueret] Voces, *nurum, filium fratris, & nepotes*, non habent, cum quo iungantur. Nec satis scio verbum perierit, an Tacitus ipse subintelligendum omiserit.

26 c.XXV. *Sed Agrippina æqui impatiens, dominandi auida, virilibus curis, feminarum vitia exuerat*]Plane non verum credo, *æqui impatiens*. Nec satis video quid substituam; nisi forte *regi*, vel *iugi impatiens*.

27 pag. 93. c.XXVIII. *Sunt qui adseuerent mille quadringentos sexaginta unum interici*] Muretus notauerat CDLX. de quo nihil hiscam.

28 pag. 94. c.XXX. *Effusa clementia, modicus seueritate*]Mur. *seueritatis*.

29 c.XXXII. *Interea cognitis insidiis, Artabanus tardari metu; modo cupidine vindictæ inardescere*] Desideratur alterum *modo*, quod inserendum Muretus quoque vidit: *Artabanus modo tardari metu, modo cupidine vindictæ* &c.

30 pag. 95. c.XXXIV. *Ac sæpe, modum obsidii, stationibus cingebat*] Adde præpositionem: *sæpe in modum*. Voluit ita quoq; Muretus.

31 *Ceterum directa vtrimq; acie, Parthus imperium Orientis, claritudinem Arsacidarum: contraq; ignobilem Hiberum mercenario milite, differebat*] Malim hercle, *ignobilem Hiberum, mercenarium militem differebat*.

32 c.XXXV. *Modo equestris prœlii more, frontis &*

& tergi vices: aliquando, vt conferta acies, corporibus & pulsu armorum pellerent, pellerentur] Nolim mutare *vice* cum Lipsio. Facit vulgatum eundem sensum, & æquè expeditum. Nec aliter structura ad Taciti morem: qui verba sępe subintelligi vult, vt hîc, *frontis & tergi vices essent*, vel *facerent*. Sed quid Muretus voluit sibi? dum legit, *Modo equites tres*. Non cepit equestre prœlium, quod è Sallustio Lipsius explanat.

pag. 96. c. XXXVI. *Patrem Abdagesem, aliosque occultos consulit, & tunc continuis cladibus promtiores ad defectionem trahit*] An non melius *occultò*? Lipsius etiam pro *consulit* scribit *conligit*, quod vix accipio. Promptius *conciliat*. Sed mirum, ni Tacitus sic scripsit: *Igitur Sinnaces, quem ante infensum memoravi, patrem Abdagesem aliosque, occultos consilii, & tunc continuis cladibus promptiores ad defectionem trahit: adfluentibus paullatim, qui metu magis, quam beneuolentia subiecti, repertis auctoribus sustulerant animum.* Ait eos consilium defectionis occultè apud se habuisse: post repertis auctoribus animum detexisse. Verum hoc, si quid aliud, certò puto. *Occultus consilii*, vt *manifestus consilii, cogitationis*, (cuius exemplum ex lib. XV. paullò ante dedimus) *flagitii, ambitionis, vanitatis*, passim in Tacito. 33

pag. 97. c. XLI. *Ceteràsq; vrbes, quæ Macedonibus sitæ, Græca vocabula vsurpant*] Immittenda fortè prępositio, *quæ à Macedonib. sitæ.* Lib. III. *Vrbẽq; Philippopolim à Macedone Philippo* 34

ſitam. Cenſuit & Muretus ita. Poſſit ſanè abeſſe, niſi ambiguitatem pareret. Nam alio ſenſu ſunt illa exempla. lib. II. *Et veterem aram Druſo ſitam diſiecerant.* lib. IV. *Pergamenos (eo ipſo nitebantur) ade Auguſto ibi ſitâ, ſatis adeptos creditum.*

35 pag. 98. c. XLV. *Nam etſi commotus ingenio, ſimulationum tamen falſa, in ſinu aui perdidicerat.*] Non muto *commotus* illud. Verum enim de ingenio tali. Sed ad hunc locum valde etiam aptè ſcribi poſſe *commodus* quidam contendebat. quaſi ad obſequium facilis.

36 pag. 99. c. XLVIII. *Et eadem pœna in Lælium Balbum decernuntur. id quidem à lætantibus, quia Balbus truci eloquentia habebatur, promptus aduerſum inſontes*] Dele *a*. Non enim vult à lætantibus decretas pœnas: ſed eas pœnas lætantibus fuiſſe, id eſt gratas in alios. Simili forma & ſenſu lib. XV. *Hæc atque talia plebi volenti fuere.* Quamquam hic Taciti locus aliàs aliter legitur, pro *volenti*, *volentia*, Salluſtianum in morem. Sic Hiſtor. IV. *Multisque ſuſpicionibus volentia plebi facturus habebatur.* Nonius in voce *volentia*. Et Tacitus neſcio quoto libro hiſtor. *Muciano volentia ſcripſere.* Sed & in alterum modum ſæpe Salluſtius, vnde noſter imitatus hîc forte, & Annal. lib. I. *Vt quibuſque bellum inuitis, aut cupientibus erat.*

37 c. XLIX. *Quamquam genua patrum aduolueretur, luctumq; communem, & magis imbecillum tali ſuper caſu feminarum animum, aliaque in eundem dolorem mæſta & miſeranda diu ferret*]

ret] Accipiam Lipsii *differret*. Sed quid vult *in eundem dolorem?* An potius *colorem?* Sic videtur. id est, eiusdem modi, vt tacitè simulata hæc omnia innuat. Caue tamen mutes. Nam sic loquitur noster lib. XI. *Et secuta sunt Claudii verba in eandem clementiam.*

pag. 100. c. 11. *Morum quoque tempora illi diuersa: egregium vita famaque quoad priuatus, vel in imperiis sub Augusto fuit: occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuêre*] Quò respiciunt accusandi illi casus; *egregium, occultum, subdolum?* Non herclè habent, cum quo iungantur. vt habeant, scribam, dandi flexu, *egregio, occulto, subdolo*. vt ad *illi* referas. 38

Idem inter bona malaque mixtus, incolumi matre: intestabilis sæuitia, sed obtectis libidinibus, dum Seianum dilexit timuitve] Muretus *inde stabilis sæuitia.* Vix abest, quin verè. tum vagum inter bona malaque fuisse vult, mox in sæuitiâ stabilem & firmum. 39

IN ANNALIVM

LIB. XI.



Ap. I. *Clarum ex eo in vrbe, deditâ per prouincias famâ, parare iter ad Germanicos exercitus*] Tolle apices à fine vocum *dedita fama*. vt casu nominandi accipias, non auferendi. 1

2 pag. 101. c. II. *Adeo ignaro Cæsare, vt paucos post dies epulantem apud se maritum eius Scipionem percontaretur, cur sine vxore discubuisset? atq; ille functam fato responderet*] Malo; *responderet*. Nec scripsit aliter Tacitus.

3 c. III. *Sed consultanti super absolutione Asiatici, flens Vitellius commemorata vetustate amicitiæ, vtque Antoniam principis matrem pariter obseruassent; dein percursis Asiatici in Remp. officiis recentique aduersus Britanniam militia, quæque alia cōcilianda misericordiæ videbantur: liberum ei mortis arbitrium permisit: & secuta sunt Claudii verba in eandem clementiam*] Confusa hæc, & interpolata à malâ & imperitâ manu Lipsius clamat, vt pænè totum librū. verè: Nos tamen ista non malè sic ordinabimus, vt structura orationis æquabiliter decurrat, & sententia nihil offendat. L. *Sed consultanti super absolutione Asiatici, flens Vitellius commemorat vetustatem amicitiæ, vtque Antoniam pr. m. par. obseruassent. deinde percursis As. i. R. of. r. a. B. m. q. a. c. m. videbantur, secuta sunt Claudii verba, in eandem clementiam: & lib. e. m. a. permisit.* Vixque est, vt aliter Tacitus. De libero mortis arbitrio Curtius lib. IIII. *Alii foribus ædium obseratis occupant liberum mortis arbitrium.*

4 c. IV. *Vocantur posthac patres, pergitq; Suilius addere reos equites Romanos illustres*] Muretus voluit, *Agere.*

5 *At caussa necis ex eo, quod domum suam Mnesteris & Poppææ congressibus præbuissent*] Malim dele-

deleri illud *At*, vel certè scribi *Et*. Non enim aliàs rectè consequatur postea, *Verum nocturnæ quietis species* &c.

Eaq. imagine grauitatē annonæ dixisset] Muret. *Caritatem*. Malè. lib. VI. fuit, *Grauitate annonæ iuxta seditionem ventum*. 6

C. VI. *Quod si in nullius mercedem negotia tueantur, pauciora fore: nunc inimicitias, accusationes, odia & iniurias foueri*] Lego, *Quod si nullius in mercedem negotia tueantur*. Eo ordine & sensu: Si nullius negotia tueantur in mercedem, id est mercede, vel ob mercedem. Sic de moribus German. *Exercitatio artem parauit, ars decorem: non in quæstum tamen aut mercedem*. 7

pag. 102. c. VII. *Omitti curas familiares, vt quis se alienis negotiis intendat*] Bene, *intendat*: etiam omisso *se*. Quid tamen, si illo retento, pro hoc legas *impendat*? 8

C. VIII. *Qui necem fratri Artabano, coniugiq. ac filio eius præparauerat, vnde metus eius in ceteros*] Malim deleri posterius *eius*. Muretus etiam *properauerat* scribit. 9

C. IX. *Cognitis popularium insidiis, quas Gotarzes fratri patefecerat*] Muretus *patri*. Nescio vnde aut quare. 10

C. X. *Et reciperare Armeniam, ni Vibio Marso Syriæ legato bellum minitante cohibitus foret*] Lipsius variè. Mihi ex omnibus nihil præter ipsum scriptorum librorum lectionem placeat, *Reciperare Armeniam habebat*. Vel Mu- 11

reto assentiar, qui è vulgata simpliciter, *Et reciperarat Armeniam, ni a Vibio* &c.

12 pag.103. *Interfecêre primam intra iuuentam, sed claritudine paucos inter senum regum*] Muretus, *paucis inferiorem regum.* Superuacuè & malè. Non respexit vir bonus præcedentia verba illa, *primam intra iuuentam.*

13 *Nec e Bardanis turbata Parthorum res, inter ambiguos quis in regnum acciperetur. Multi ad Gotarzen inclinabant*] Idem sic distinguere maluit: *Parthorum res. Inter amb.q.i.r. acciperetur, multi ad Got.* Ego vt vulgo est, relinquo.

14 c.XII. *Vt Iuniam Syllanam nobilem feminam, matrimonio eius exturbaret*] Muretus, *Iuniam Silanam.*

15 pag.104.c.XV. *Sæpe aduersis Reip. temporibus accitus, quorũ monitu redintegratas ceremonias*] Malim *accitos.*

16 c.XVI. *At si paterna Italo mens esset, non alium infensius arma contra patriam ac deos penates, quam parentes eius exercuisse*] Muretus *parentem.* Rectè.

17 c.XVII. *Adstrepebat huic alacre vulgus: & magno inter Barbaros prœlio victor rex: dehinc* &c.] Dubito an non, *magnus.* quasi dicat magnum habitum Italum regem, post victoriam prœlii.

18 c.XVIII. *Duce Gannasco, qui natione Caninefas, auxiliaris & diu meritus, post transfuga*] Lipsius, *auxiliaris, dein emeritus.* Mercerus, *auxiliare as diu meritus.* Mihi placeat, *auxiliares inter diu meritus.*

pag.

pag. 105. *Quæ nimia & incertum an falsò iacta*] Lipsius; *aucta*. Muret. *iactata*. Quasi vero multum interſit, quid horum præponas. 19

c. XIX. *Ac ne iussa exuerent, præsidium immuniit, missis qui maiores Chaucos ad deditionem pellicerent*] Vulgò *inde muniuit*. Suspicatur hinc Lipsius *endomuniuit*. atq; idem verbi tentat Liuio donare. Ego neq; hic, nec in Liuio acceperim: cuius locus per se sanus. Vera hîc lectio, *inibi muniuit*. Nam is sensus: Apud hos præsidium muniuit, ad alios alios, qui pellicerent, misit. 20

Cur hostem conciret? aduersa in Remp. casura: cum prospere egisset, formidolosum paci, virũ insignem, & ignauo principi prægrauem] Locus corruptus & sine dubio mutilus. paullum tamen quid deesse puto. Nam sententiam equidem video, quæ hæc fuit, tanquam si scriptum: *Aduersa in Remp. casura, cum prosperè egisset. Fecere hæc formidolosum paci virum insignem, & ignauo principi prægrauem. Ideo Claudius* &c. 21

c. XX. *Ne tamen miles otium exueret*] Lipsius, *Vt tamen*. vel ad finẽ, *exerceret*. Muretus longiusculè abit; *Ne tamen miles otio insuesceret*. Mihi certè non tam crebra eius verbi *Exuere* placeat repetitio. idem enim iam paullò ante. Nec tamen satis commodè mutes: & si variè possis. Vt relinquatur, legam, *Ne tamen miles otio vim exueret.* 22

Eundem honorem adipiscitur, qui in agro Mattiaco recluserat specus] Muretus; *quia*. 23

24 *De origine Curtii Rufi*] Lipsii opinionem valde iuuat Senecæ locus ad Polybium Consol. vbi eadem ferè de Claudio. cap. xxxi. & xxxii. ista præcipue: *Patere illum generi humano iamdiu ægro & affecto mederi: patere quidquid prioris principis furor concussit, in locum suum restituere ac reponere. Sidus hoc, quod præcipitato in profundum, ac demerso in tenebras orbi refulsit, semper luceat* &c.

25 c xxii. *Nam postquam tormentis dilaniabatur, de se Nouius* * *conscios non edidit, incertum an occultans*] Non integer locus: quem commodè se putat explere Lipsius, *de se Nouius confessus, conscios non edidit*. Id vero ego admittere nô queo. Primum nomen hominis *Nouius* hîc apponi, nimis inficetum: cùm de nullo alio agi constet, & iamiam ipse nominatus sit. Deinde illud *confessus* quam sententiam facit? Scilicet id tormentis quęrebatur, vt hoc fateretur, in quo deprehensus erat manifestò. Vides quam ineptũ. Sed ego nec aptius effero.

26 pag. 106. c. xxiii. *Quem vltra honorem residuis nobilium: aut si quis pauper è Latio senator foret*] Lipsius prim. edit. legit, *Ecquis pauper*. Si quid mutandum, lege, *residuis nobilium, aut si quis pauper è Latio senator, fore?*

27 *Recentia hæc. quod si memoria eorum inoriretur, qui Capitolio & arâ Romanâ manibus eorundem prostratis*] Hic quoque locus fractus & corruptus: nec quem persanare hominis est, sine libris. Duo tamen in eo ipso notârim. legendum potius videri *iniretur*, pro *inoriretur:*

&

& pro *ara*, *arce*. Quamquam de Ara maxima possis capere: tamen verisimilius est de *arce*. Nam sic sæpe apud alios auctores *Capitolium* & *arcem Romanam* iungi deprehendes: nusquam *Capitolium* & *aram*.

c.XXIV. *Num pœnitet Balbos ex Hispania, nec minus insignes viros è Gallia Narbonensi transiuisse?*] Suspecta est mihi vox *Viros* cum Mureto: qui & ipse latere sub ea nomen familiæ alicuius censuit, sed corruptum. 28

pag. 107. c. XXV. *Mitem & recens repertam quandam ex seueritate prisca rationem adhibuit*] Lipsius ad sententiam inserit, *haud ex seueritate prisca*. Sed hallucinatur certè. Vsum hunc præpositionis *Ex* astruo exemplo Symmachi lib. IX. ep. XCII. vbi plura dicemus. Verba Symmachi sic habent: *Instar beneficii erit, si mihi contingat de te ex voluptate securitas.* 29

Isque illi finis inscitiæ ergà domum suam fuit] Nescio an melius, *circa*. 30

c.XXVI. *Cum abrumpi dissimulationem etiam Silius, siue fatali vecordiâ, an imminentium periculorum remedium ipsa pericula ratus, vrgebat*] Hicne vt Tacitus *siue* illud scripserit? Non solet ita, vt *an* subsequatur. nec id adeò quisquam probatorum. Delendum aut mutandum, *etiam Silius ipse, fatali vecordia, an* &c. 31

[Hæsitasse videtur auctor, viso lib. XIV. Ann. loco, vbi legitur: *Sed Plautum ea nō mouere: siue nullam opem prouidebat inermis atq; exsul; siue* ‹‹

» *tædio ambiguæ ſpei; an amore coniugis & libero-*
» *rum.*]

32 *Inſontibus innoxia conſilia; flagitiis manifeſtis, ſubſidium ab audacia petendum*] Lego, *flagitii manifeſtis*. quæ dictio elegantiſſima & Tacito frequentiſſima.

33 c.XXVII. *Noctem denique actam licentia coniugali*] Apage Murete, *noctem diemq́.*

34 *Sed nihil compoſitum miraculi cauſsâ, verum audita ſcriptaque ſenioribus tradam*] Quis hic ſenſus? quæ ſeniores audierunt ſcripſeruntque: an quæ ſcripta ab aliis, & à ſenioribus mihi audita. Illud verba præferunt: hoc Lipſius voluiſſe videtur ad 11. Annal. in fine. At tum traiicienda erant verba, *verum ſcripta auditaque à ſenioribus tradam*. Hæreo. Niſi fortè legendum: *verum audita ſcitaque ſenioribus.*

» [Correxit auctor ſemetipſum ad 11. Annal.
» ſub finem.]

35 c.XXVIII. *Dum induſtriâ cubiculum principis occulit adulteros dedecus quidem illatum, ſed excidium* (al. melius *exitium*) *procul abfuiſſe. nunc iuuenem nobilem* &c.] Reges Lipſio ſunt, qui hunc locum emendarunt ſic: *Dum hiſtrio cubiculo principis occultatur, dedecus.* Equidem paullò maiori licentia opus eſt in principio. Lego, *Dudum cum hiſtrio.* Extrema mutat etiam aliter Lipſius ex ſcripta lectione, quæ hæc: *Dum inſtruo cubiculum Principis exultauero, dedecus.* Sed eius mutatio non placet. Magis hæc: *Dudum cum hiſtrio cubiculo principis exul-*

exultauerat, dedecus quidem illatum &c. vel etiam *allatum. Dudum cum* planè requiritur, si illud oppositum *nunc* spectas. Paullo post *iuuenta*, vox non modo suspecta falsi, sed planè falsa. Quid enim hæc vult, cum præcesserit *iuuenem nobilem*. Nec Palmerius placet, qui ex Vaticani *Vimentis*, diductum facit, *vi mentis*.

c. XXIX. *Flagrantissimaque eo tempore gratia Pallas*] Muretus, *in tempore*. Ea quidem Taciti phrasis, nec assueuerem tamen hîc vsurpatam. lib. XII. *Non abnuere pacem Hyberos, quamquam in tempore validiores*. Vbi quidem certa eius notio de præsenti. nam aliàs ambigua de futuro. vt eod. lib. XII. *Truculentior quam antea, tanquam aduersus defectores, & in tempore rebellaturos*. Potuit & *in eo tempore* scripsisse. vt alibi lib. XIII. *Pons Miluius in eo tempore celebris nocturnis illecebris erat*. 36

pag. 108. c. XXX. *Is veniam in præteritum petens, quod ei cis Vectium, cis Plautium dissimulauisset; nec nunc adulteria obiecturum ait, ne domum, seruitia, & ceteros fortunæ paratus reposceret. frueretur imo iis, & redderet vxorem, rumperetque tabulas nuptiales*] Lego, *nec nunc adulteria obiecturum ait, nec domum, seruitia, & ceteros fortunæ paratus reposcere. frueretur imo iis: sed redderet vxorem* &c. 37

c. XXXI. *Tum potissimum amicorum vocat, primumque rei frumentariæ præfectum Turra-* 38

nium, post Lusium Getam pratorianis impositum percontatur. Quibus fatentibus (veteres, *tacentibus*) *tum certatim ceteri circumstrepunt, iret in castra* &c.] *Potissimum amicorum vocat*, an id est, Narcissum amicorum primum & optimum appellat? Non puto. Sed legendum: *Tum potissimos amicorum vocat*. Et postea, *Percontatur*: qua de re? Non de vxoris facto: sed quid sibi nunc agendum. Quæ caussa est, vt non *fatentibus*, sed veterem lectionem *tacentibus* deinceps amplectar. Tacebat nempe Turranius & Geta, quid consulerent, aut saltem responderent in re subita, ignari.

39 *Et feminæ pellibus accinctæ assultabant, vt sacrificantes vel insanientes Bacchæ*] Muretus deletis duabus vocibus, *vt insanientes Bacchæ*. Ego probem.

40 C. XXXIV. *Etiam erat in aspectu Messallina, clamitabatque audiret Octauia & Britannici matrem: cum obstreperet accusator, Silium & nuptias referens*] Lege, *obstrepere*. Vt & paullò post, *Vibidiam depellere nequiuit, qua multa cum inuidia flagitaret, ne indefensa coniunx exitio daretur*. Lego, *flagitare*. Quod tamen retineri potest, sed distinctione mutatâ, vt cum sequentibus nectatur: *Qua multâ cum inuidiâ flagitaret, ne indefensa coniunx exitio daretur; ergo auditurum principem, & fore diluendi criminis facultatem, respondit*.

41 pag. 109. cap. XXXVII. *Componere preces,*

eis, nonnulla spe, & aliquando ira] Non muto. Sed poterat & *aliquantâ irâ*.

IN ANNALIVM
LIB. XII.

PAg. 110. c. 1. *Orto apud libertos certamine, quis diligeret vxorem Claudio calibi vita intonanti, & coniugum imperiis obnoxio*] Muretus *intoleranti*. Consideretur. At herclè tamen scribendum, *calibis*. Sic IV. histor. *Æqualium quoque, adeò superiorum intolerantis*. 1

Ipse modò huc, modò illuc, vt quemque suadentium audierat promptus] Muretus, *pronus*. Parum interest, sed hoc tamen ego etiam malim. 2

c. II. *Narcissus vetus matrimonium, familiam communem (nam Antonia ex Petinâ erat)* &c.] Muret. *filiam*. Res clara, & mirum quî Lipsio non visa. 3

At Pallas id maximè in Agrippina laudare, quod Germanici nepotem secũ traheret dignum prorsus imperatoriâ fortuna, stirpem nobilem & familia Claudia, quæ posteros coniungeret &c.] Expediri sententiam posse ait Lipsius: idem tamen malit, *quin posteros coniungeret*: vt quasi hortantis ea sint liberti. Nec expediri sententia potest è verbis, vt nunc leguntur: & omnino 4

vim hortandi poſtrema habent. Mihi certum, deleto *quæ* legendum: *quod Germanici nepotem ſecum traheret, dignũ prorſus imperatoriâ fortunâ. Stirpem nobilem*, (id eſt, nepotem Germanici) *& familiæ Claudiæ poſteros coniungeret*. Muretus voluit tranſpoſitè, *ſtirpem nobilem & quæ famil. C.p. coniungeret*. & idem in iis quę ſtatim, *ne femina experta fecunditatis, integra iuuenta, claritudinem Cæſarum aliam in domum ferret*, maluit, *expertæ fecunditatis*. Non aſſentior. *Experta fecunditatis* dicetur vt *Compertus flagitii* &c. De his ad Apuleium Apolog. II.

5 pag. III. c. III. *Iuuenemque & alia clarum, inſigni triumphalium, & gladiatorii muneris magnificentiâ protulerat ad ſtudia vulgi*] Lipſius primâ edit. monuit libros ſuos habere *inſignia*. & id melius. Non herclè niſi addas præpoſitionem: *per inſignia triumphalium*. quod planè ego verum puto. Nam *inſigne triumphalium* nuſquam alibi ſingulari numero legas, vt neque *inſigne Prætorium* vel *ornamẽtum Prætorium* & eius modi alia: quę omnia plurali numero efferuntur.

6 *In animo Principis, cui non iudicium, non odium erat, niſi indita & iuſſa*] Muret. *indicta*. Malè.

7 c. IV. *Conſiliis eius implicari, ferre crimina in Silanum*] An melius *Serere*? Bonum tamen etiam *ferre*.

8 c. V. *Quod porrò honeſtius Cenſoriæ mentis leuamen, quam aſſumere coniugem proſperis dubiiſque ſociam*] Fallor, an ſcribendum *Cæſareæ mentis*.

mentis. Certò enim hæc de Claudio. Ac supra lib. XI. idem error harum dictionum: *Lætaque hæc in R. P. munia, multo gaudio Censoris inibantur.* Rectè Farnesianus codex *Cæsaris.* At Cæsar etiam idem fortè Censor: vt plerique tum Imperatores. Consideretur.

c. VI. *At enim noua nobis in fratrum filias coniugia, sed aliis gentibus solennia, nec lege vlla prohibita. Et sobrinarum diu ignorata, tempore addito percrebuisse*] Lipsius vocem *addito* vt additam à glossographo reiicit. Ego aliud suspicor. ne ita forte scribendum, *Et sobrinarum diu ignorata, tempore adita, tempore percrebuisse.* Valdè quidem eleganter & neruosè. *Adita,* id est, cœpta. Nec dubito, quin ita planè Tacitus. 9

c. VII. *Populumque Rom. eadem rogare clamitat*] Muretus rescripserat, *Orare.* nescio vnde aut quare. nisi si fortius hoc visum. 10

pag. 112. *Addictum quasi & virile seruitium*] Pugno pro Lipsio contra Lipsium. Omnino scribendum, vt olim coniecerat, *Adductum & quasi virile s.* quamquam ipse postea *Addictum* retineri voluerit & stabilierit alio Taciti loco. Sed nego hîc ei verbo locum. Non enim vult auctor dicere arctum & astrictum, sed seuerum seruitium: quod & sequentia verba satis demonstrant, & clamat adiunctum hoc ipsum, *Virile.* 11

c. IX. *Memmium Pollionem ingentibus promissis inducunt, sententiam expromere*] Muret. *inducit.* vt scilicet ad Agrippinam solam refera- 12

tur. Manere tamen illud rectè poteſt, nec reſpicitur forte ſola Agrippina, ſed & Vitellius, & alii eiuſdem ſectæ.

13 *Arte eorum, quîs ob accuſatam Meſſallinam vltio ex filio timebatur*] Veriſſima lectio & ſententia. At quid Muretus voluit, mutando? *qui ſub accuſatam Meſſallinam vitrico & filio timebantur*. Ineptiſſimè.

14 C. XI. *Clementiamq; ac Iuſtitiam quantò ignara barbaris, tantò tolerantiora capeſſeret*] Non placet *tolerantiora*. non quia vocem ipſam reprobem, ſed quia ſententiam admodum quã languidam gignit. Muret. voluit, *tantò tetriora*, quod planè non conuenit. Nec ego ſcio quid faciam. Hariolor tantum, *tanto lætiora*. bono quidem ſenſu. quanto inuſitata magis ac noua barbaris, tanto gratiora futura.

15 *Rem Romanam huc ſatietate gloriæ prouectam, vt externis quoque gentibus quietem velit datam. Poſt hæc C. Caſſio qui Syriæ præerat, deducere iuuenem ripam ad Euphratis iubet*] Elegantiſſimam hîc emendationem vidit Muret. delet à fine verbum, *iubet*, & reliqua ſcribit interpungitque: *vt externis quoque gentibus quietem velit. Datum poſt hæc C. Caſſio, q. S. p. deducere i. r. a. Euphr.* Statim: *Ea tempeſtate Caſſius ceteros præminebat peritiâ legum*. Lipſ. in primâ edit. putauit legend. *Præ ceteris peritiâ legum. Præ ceteris*, vt alibi ſolet *ante alios*. Interpolatus locus variè eſt ab imperitis, qui abeſſe quid crediderunt. In vltima hac accipit Vaticani lectionem, *ceteris præerat*. Non ego

hoc

hoc quidem. Nam præcessit vix dum, *Qui Syriæ præerat*. è qua linea huc idem verbi inculcatum.

pag. 113. c. XII. *Sed flexu Armeniam petunt, id temporis importunam, quia hiems occipiebat*] In Mureti libro notatum, *Occupata*. Non conuenit. Verbum tamen id si melius hîc, scribendũ, *occupabat*. Sed nihil mutandum. 16

c. XIII. *Equi ubi pharetras telis onustas accepere*] Vatic. *telis omissis onustas*. Vnde Lips. *telis omnigenis on*. Quid si *telis missilibus onustas?* Sed absq; dubio natum *omissis* ex superuacua iteratione sequentis *onustas*. 17

c. XIV. *Rem in casum dare*] In eum sensum Panegyr. Constantino Constantii F. dict. *Cur salutem Reip. in pericula tanta misisti?* 18

c. XV. *Externas & ipsi gratias quæsiuere, missis legatis ad Eunonem, qui Adorsorum* (*Aorsorum* Lips.) *genti præcellebat*] Nouo sensu hoc verbum hîc, si tamen sanum. Fort. leg. *gente*. 19

c. XVI. *Tum composito agmine incedunt. cuius frontem & terga, Adorsi; media cohortes & Bosphorani, tutabantur; nostris, in armis*] Caue sic exaudias hæc postrema, vt Lips. *in armis*, pro in lateribus, & ad armos. Nemo ita vnquam locutus. Deinde quam errat idem Lipsius, cum explicat incessum agminis: & in fronte eius ac tergo Adorsos, in medio Bosphoranos, ad latera Romanos fuisse vult! Quomodo hoc ex Tacito colligas? qui ita, si sanè verba interpretaris, describit: à fronte 20

tur. Manere tamen illud rectè poteſt, nec reſpicitur fortè ſola Agrippina, ſed & Vitellius, & alii eiuſdem ſectæ.

13 *Arte eorum, quîs ob accuſatam Meſſallinam vltio ex filio timebatur*] Veriſſima lectio & ſententia. At quid Muretus voluit, mutando? *qui ſub accuſatam Meſſallinam vitrico & filio timebantur*. Ineptiſſimè.

14 C. XI. *Clementiamq; ac Iuſtitiam quantò ignara barbaris, tantò tolerantiora capeſſeret*] Non placet *tolerantiora*. non quia vocem ipſam reprobem, ſed quia ſententiam admodum quã languidam gignit. Muret. voluit, *tantò tetriora*, quod planè non conuenit. Nec ego ſcio quid faciam. Hariolor tantum, *tanto lætiora*. bono quidem ſenſu. quanto inuſitata magis ac noua barbaris, tanto gratiora futura.

15 *Rem Romanam huc ſatietate gloriæ prouectam, vt externis quoque gentibus quietem velit datam. Poſt hæc C. Caſſio qui Syriæ præerat, deducere iuuenem ripam ad Euphratis iubet*] Elegantiſſimam hîc emendationem vidit Muret. delet à fine verbum, *iubet*, & reliqua ſcribit interpungitque: *vt externis quoque gentibus quietem velit. Datum poſt hæc C. Caßio, q. S. p. deducere i. r. a. Euphr.* Statim: *Ea tempeſtate Caſſius cæteros præminebat peritiâ legum*. Lipſ. in primâ edit. putauit legend. *Præ ceteris peritiâ legum. Præ cæteris*, vt alibi ſolet *ante alios*. Interpolatus locus variè eſt ab imperitis, qui abeſſe quid crediderunt. In vltima hac accipit Vaticani lectionem, *ceteris præerat*. Non ego hoc

hoc quidem. Nam præcessit vix dum, *Qui Syriæ praerat.* è qua linea huc idem verbi inculcatum.

pag. 113. c. XII. *Sed flexu Armeniam petunt, id temporis importunam, quia hiems occipiebat*] In Mureti libro notatum, *Occupata*. Non conuenit. Verbum tamen id si melius hîc, scribendũ, *occupabat*. Sed nihil mutandum. 16

c. XIII. *Equi vbi pharetras telis onustas accepere*] Vatic. *telis omissis onustas*. Vnde Lips. *telis omnigenis on.* Quid si *telis missilibus onustas?* Sed absq; dubio natum *omissis* ex superuacua iteratione sequentis *onustas*. 17

c. XIV. *Rem in casum dare*] In eum sensum Panegyr. Constantino Constantii F. dict. *Cur salutem Reip. in pericula tanta misisti?* 18

c. XV. *Externas & ipsi gratias quæsiuere, missis legatis ad Eunonem, qui Adorsorum* (*Aorsorum* Lips.) *genti præcellebat*] Nouo sensu hoc verbum hîc, si tamen sanum. Fort. leg. *gente*. 19

c. XVI. *Tum composito agmine incedunt. cuius frontem & terga, Adorsi; media cohortes & Bosphorani, tutabantur; nostris, in armis*] Caue sic exaudias hæc postrema, vt Lips. *in armis*, pro in lateribus, & ad armos. Nemo ita vnquam locutus. Deinde quam errat idem Lipsius, cum explicat incessum agminis: & in fronte eius ac tergo Adorsos, in medio Bosphoranos, ad latera Romanos fuisse vult! Quomodo hoc ex Tacito colligas? qui ita, si sanè verba interpretaris, describit: à fronte 20

& tergo Adorsos incessisse: ad latera cohortes, (& accipe Romanas) & Bosphoranos: in medio qui fuerint, non addit. Cohortes, quas dicit, non aliæ sunt nisi Romanæ. de quibus paullò superius: *Relictos in nouo regno Cotyn iuuentu rudem, & paucas cohortium cum Iulio Aquilâ, equite Romano.* Verba, *nostris in armis*, sic accipiam, quasi dicat, agmen hoc instructum fuisse in morem militiæ Romanæ. quod sensisse postea & Lipsius videtur, quamquam de solis Bosphoranis: instructos hos armatosque Romano ritu. Et in hanc sententiam præpositionem *In* delet. Quod necesse ego non puto, & de toto agmine, non de vnis Bosphoranis accipiendum statuo.

21 pag. 114. c. XVII. *Quod aspernati sunt victores, quia trucidare deditos sauū, tantam multitudinem custodiâ cingere arduum: vt belli potius iure caderent. Datumq. militibus, qui scalis euaserant, signum cædis*] Verba, *vt belli potius iure caderent*, vnde pendent, quò referuntur? Suo loco excidisse puto, & sic transponenda: *custodiâ cingere arduum. datumq. militibus, qui scalis euaserant, signum cædis, vt belli potius iure caderent. Excidio Vsp.* &c.

22 pag. 115. c. XXII. *Proin publicatis bonis, cederet Italia. Ita quinquagies sestertium ex opibus immensis exsuli relictū*] *Ita* non hîc congruit. Scripserim *At* vel delerim potius, ex litteris prioris vocis natum.

23 c. XXV. *Et quos tum Claudius terminos posuerit, facile cognitu, & publicis actis præscriptum*]

ptum] Leg. *perscriptum*. Etiam Muretus notauit.

c. XXVII. ***Aduentu Cattorum latrocinia agitantium***] Mur. *Caucorum*. 24

Deinde L. Pomponius legatus auxiliares Vangiones ac Nemetas addito equite alario monuit] Parum certè cohærens narratio, quod rectè Lipsio animaduersum. Nec tamen putem ea deesse, quæ censuit ipse. Quin satis integer locus fore videtur, si *Proinde* legas. 25

Vt anteirent populatores, vel delapsis improuisi circumfunderentur] Hîc quoque scribe *dilapsis*, in qua voce sæpe erratum. Hîc Mur. etiam notauerat. 26

pag. 116. c. XXIX. *Auctores fuère Iubillius Hermundurorum rex*] Muretus notat ex veteribus libris *Vibellius*. 27

c. XXXI. *Detrahere arma suspectis, cinctosque castris Antonam & Sabrinam fluuios cohibere parat*] Variè hîc Lipsius: ad extremum, vt notauerat & Muretus: *cinctosq. castris, Antonâ & Sabrinâ fluuiis cohibere parat*: quasi hostem partim castris, partim fluminibus cingere voluerit, ad prohibendam populationem. Nihil etiam hoc, meo iudicio: vera lectio, & ex ea facillimus sensus, mutatâ voce *castris*, in *claustris*: vt fluuios ipsos claustra vocet, quibus hostis cohibeatur. Et quid, si pro *Cinctos*, legas etiam *Excinctos*, i. armis exutos, spoliatos: quod pulcherrimè cum præcedentibus conueniat. Lege igitur, *Detrahere arma suspectis, excinctosq. claustris Antonâ & Sabrinâ fluuiis cohibere pa-* 28

rat. Excingendi verbum vſurpat Silius Italicus lib. x v. in eundem ſenſum, vt quidem vult Scaliger ad Catullum. Nam ego, non viſo integro loco, verba iſta nondum planè ſcio an ſic capienda.

—apparent mœnia Graio
Condita Maſſiliæ populis excincta ſuperbis,
Barbarus immani quæ territat accola ritu.

29 c. XXXII. *Et Brigantes quidem, paucis, qui arma cœptabant, interfectis, in reliquos datâ veniâ, reſedêre*] Forte, *cœptarant*. vt auctores rebellionis capias.

30 pag. 117. c. XXXIV. *Illum diem, illam aciem teſtabatur, aut reciperandæ libertatis, aut ſeruitutis æternæ initium fore*] Libenter cum Lipſio delerim vocem *initium*: intruſam ab imperito phraſeos Cornelianę. Et ferrem tamen, ſi conueniret, & aptari cum præcedentibus omninò poſſet. Sanè ita rectè dixeris, *illum diem ſeruitutis æternæ initiũ fore*. Sic in Agric. *Hodiernum diem conſenſumq; veſtrum initium libertatis atque Britanniæ fore*. At durum fuerit ſic, *illam aciem fore ſeruitutis initium*. Nec eleganter ita, *illum diem vel aciem forè initium reciperandæ libertatis*. Quod ſi deleas, ex omni parte oratio examuſſim ſibi quadrat. Et tamen diuerſi locutionum modi ſunt, *fore recipiendæ libertatis*, & *fore æternæ ſeruitutis*. Ille vulgatior, & aliis etiã frequens: hic vni Tacito, niſi fallor, vſurpatus, & illi ipſi rarenter. Exemplum vnum nunc occurrit. I I I. Annal. *Præerat caſtello Decrius impiger manu, exercitus militiâ, & illam obſidionem*

nem flagitii ratus. Quod ipsum nō peregrinius ad aures nostras accidere debet, quam Suetonii illud August. c. XLIII. *Prisci decoriq́; moris existimans, claræ stirpis originem sic notescere:* & multa similia, vulgi etiam vsu trita. Tacit. iterū in Germa. *Cedere dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur.*

c. XXXV. *Decedere Barbari in iuga montium*] Malim *recedere.* hoc enim magis adsignificet retrocessionem. 31

c. XXXVII. *Nam si vos omnibus imperitare vultis, sequitur vt omnes seruitutē accipiant*] Rectè Lipsius hoc arguit & damnat. Idem bene corrigit, *Num* &c. *accipiant?* Æquè benè, & fortè melius Muretus, *Non si* &c. 32

pag. 118. c. XXXVIII. *Ac ni citò vicis & castellis proximis subuentum foret, copiæ tum occidione occubuissent*] Lipsius, *Ac ni citis nuntiis è castellis.* Melius, & verè Muretus, *ni cito è vicis & castellis.* Idem mauult *occidissent.* Et hoc sanè vulgato in vsu. 33

c. XXXIX. *Per saltus, per paludes, vt cuiq́; sors, aut virtus: temerè, prouisa; ob iram, ob prædam &c.*] Lipsius *prouisu.* Malo, *prouisò.* aduerbiali forma, quâ item *improuisò, inopinatò, inexpectatò,* & talia. 34

c. XL. *Aduersâ interim legionis pugnâ, cui Manlius Valens præerat: auctaque & apud hostes eius rei fama, quo venientem ducem exterrerent: atque illo augente audita*] Malè interpunctus locus. Lege, *præerat, auctâque & a. h. e. r. famâ, q. v. d. exterrerent, atque illo* 35

a. audita &c. Et auferendi casu capiendæ voces *aucta fama.*

36 pag. 119. c. XLI. *Britannicus in prætexta, Nero triumphalium veste transuecti sunt*] Mirum si non verius, *triumphali in veste.* Nec tamen alterum planè damnô. aut scribendum *triumphantium.*

37 c. XLIII. *Magnaq; deûm benignitate, & modestiâ hiemis rebus extremis subuentum*] Dele copulam *Et.* Modestia enim hiemis ipsa munus & benignitas Deorum.

38 pag. 120. c. XLVI. *Secretis nuntiis monet Rhadamistum oppugnationem quoquomodo accelerare*] Muretus notauit *celerare.* Etsi nihil pænè interest, ego tamen hoc quoque prætulerim.

39 c. XLVII. *Simul in lucum propinquum trahit, prouisum illuc sacrificium imperatum dictitans; vt diis testibus pax firmaretur*] Lips. *prouisu suo illic* &c. Ego *prouisum* non mutem; potius *imperatum* eiiciam, quod glossa alterius, & inepta: Dura profectò nimis locutio, *Prouisu suo aliquid imperare*: nec Tacito vnquam alibi vsurpata.

40 pag. 121. c. XLIX. *Erat Cappadociæ procurator Iulius Pelignus, ignaui animi, & deridiculo corporis iuxta despiciendus*] Muretus, *Ignauo animi.* Hoc ei assentior, & malo, quam quod ad marginem *Ignauiâ. Ignauum animi* perinde dictum, vt *deridiculum corporis.* Tamen etiam Taciti phrasis *ignaui animi.* At non etiam *conspiciendus* cum eodem mutem *despiciendus.* Sic nam-

namque libr. XIV. *Marcellus Aſinio Pollione proauo clarus, neq; morum ſpernendus habebatur.*

C. LII. *Neq; tamen exſuli longa poſthac vita fuit, morte fortuitâ, an per venenum extinctus eſſet, vt quiſq; credidit, vulgauêre*] Verba, *extinctus eſſet*, eiicit Muretus & ego cum illo, nimis manifeſtum & inſipidum gloſſema. Hæreo tamen, an non potius ſcribi: *mortem fortuitam, an per venenum, vt quiſque credidit, vulgauêre.* 41

pag. 122. C. LIV. *Sanè præbuerant Iudæi ſpeciẽ motus orta ſeditione, poſtquam cognita cæde Caii haut obtemperatum eſſet. manebat metus, ne quis principum eadem imperitaret*] Locus manifeſtò mutilus: ſed non manifeſtò, quâ potiſſimum parte. Ego aio, poſt verba *orta ſeditione*, paucula quædã deeſſe, quibus cauſſam ſeditionis auctor perſtrinxerit, & eam planè, quam Lipſius in Commentario retulit. Hîc igitur indicia lacunæ & hiatus facienda ſunt. Reliqua ſequentia ſic coniũgantur, abiectâ vulgatâ diſtinctione: *poſtquam cognitâ cæde Caii* (vel *eius*, vt libri veteres: veriſimiliter. quia Caii ipſius nomen præceſſiſſe debuit in iis quę nunc deſiderantur) *haut obtemperatum eſſet, manebat metus, ne quis principum eadẽ imperitaret.* Dubites etiam an non *manabat* ſcribendum. quod magis etiam conuenerit, ſi priora ita reſcripſeris: *poſt quam* (ſc. ſeditionem) *quia cognita cæde eius haud obtemperatum eſſet, manabat metus, ne quis p. eã imperitaret.* 42

f

43 *Damnatusq; flagitiorum, quæ duo deliquerant, Cumanus: & quies prouinciæ reddita*] De sententia hîc non ego, sed de verbis sollicitus. Illa enim satis apparet, hæc dubia. Nouum quippe dicendi genus, *flagitia delinquere*. Arbitror verbum excidisse, *luit* aut quid simile. Lege, *quæ duo deliquerant, vnus luit Cumanus*.

44 C.LVI. *Claudius triremes quadriremesque & vndeuiginti hominum millia armauit*] Numerus omnino reponendus est, vt comparatio inter Claudii & Augusti apparatum constet. Leuibus Augusti nauigiis, triremes, quadriremesque Claudii opponuntur. quæ copia earundem huiusdem, copiæ minori illius? Scribe igitur indubitanter cum Lipsio: *Claudius* c. (id est, centum. hæc.n. nota numeralis, occasio & caussa numeri aboliti) *triremes quadriremesque*. Idonei auctores Dio & Xiphilinus. Statim:

45 *Cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent*] Lipsius è Dione, qui muri lignei meminit, in Tacito hîc pro *Ratibus*, substituit *Cratibus*, aut *trabibus*. Non possum probare. Vetant paullò inferiora verba: *In ratibus prætoriarum cohortium manipuli turmæq; adstiterant*. Et ne hîc quoque verbum *ratibus* mutandum alterutro illo modo censeas, ligant te *rectæ* illæ *naues*, de quibus mox. Nam malè istum locum idem Lipsius mutat: *Reliqua lacus, classiarii rectis nauibus obtinebant*. Restituit ille *tectis nauibus*: quia hæ idoneæ ad pugnam. At ò bone infirmum hoc argumentum: & Tacitus *rectas naues*

nis ratibus opponit, quæ non veræ naues. Statim:

Attamen spatium amplexus, ad vim remigii & gubernantium artes, impetusque nauium prœlio solitos] Muretus, *Ac tantum*. Vide ne fuerit potius, *Sat tamen spatium amplexus. Sat spatium*, vt *Parum fides* in Terentio: *Satis consilium, satis otium* in Cicerone & alibi. de quibus Gulielm. quæstion. Plautin. ad Bacchid. cap. tertio. Et nos item ad Plautum diuersis locis. 46

pag. 123. c. LVII. *Et incuria operis manifesta fuit, haud satis depressi ad lacus ima vel media*] Muretus *ad lacus media*: reliquis deletis. haud satis intelligo quare. Si alterum delendum, potius inclinem vt *ima* maneat. Sequitur enim altius postea effossos specus. 47

c. LVIII. *Romanum Troiâ demissum, & Iuliæ stirpis auctorem Aeneam, aliaque haud procul fabulis vetera facundè exsecutus*] Non muto ego, tamen non ineptè Muretus: *aliaq. haud procul fabulis, verum* (siue, quod me iudice è litterarum ductu facilius confiat, *ceterùm*) *facundè exsecutus*. Sic & Lipsius in primâ editione coniecerat, quod post omisit. 48

pag. 124 c. LXII. *At Byzantii, datâ dicendi copiâ, cum magnitudinem onerũ apud Senatum deprecarentur, cuncta repetiuêre; orsi à fœdere* &c.] Sequentia reliqua rectius distinguã, & leui emendatione melius concinnabo: *cuncta repetiuere. Orsi à fœdere, quod nobiscũ icerant, qua tẽ-* 49

pestate bellauimus aduersus Regem Macedonum, cui vt degeneri, Pseudophilippi vocabulum impositum: missus post hac (alii: *impositum. Missus post hac*) *copias in Antiochum, Persen, Aristonicum, & piratico bello adiutum Antonium memorabant, quæque Syllæ,* (al. *Antonium. memorabantque qua Sulla*) *aut Pompeio obtulissent: mox* (al. *obtulissent. Mox*) *recentia in Cæsares merita, quando ea loca insiderent* &c. Muretus nihil hîc aliud notauerat, quam vocem *merita* delendam. de quo deliberandum vlterius censeo.

50 c. LXIV. *Truci contra ac minaci Agrippina, quæ filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat*] Aut deest verbum ad ista, *quæ filio dare imperium*: aut negatio τοῦ *nequibat* ad ea ipsa non pertinebit. quod genus etsi rarum, tamen & alibi obseruatum. Atque ita locus ille forte lib. XIII. ad finem integer: *Deesse nobis terra, in qua viuamus; in qua moriamur non potest.* Vbi Lipsius pariter & Muretus inseri volunt, *in qua viuamus. potest; in q. m. n. p.* Videri possit hîc etiam legendum, *quæ filio dans imperium, tolerare imp. nequibat.*

51 c. LXV. *Britannico successore, nullum principi meritum, ac nouercæ insidiis domum omnem conuelli, maiore flagitio*] Sic distinguenda fuisse ait Lipsius: tamen etiamnum mendi suspecta. Verè. Quid enim sonant illa, *nullum principi meritum?* Audeo pænè affirmare, verè à me emendatum, *nullum è principe metum*. accommodatissimè profectò ad sensum. elegantissimè

mè item ad dictionem, quæ huius generis sæpe Tacito vsurpata, & exemplis aliquantis firmata Lipsio ad 1. Annal. Sed & dehinc scribe: *nullum e principe metum: at nouerca insidiis domũ* &c. Quod fatebor etiam Mureto notatum, ut *at* mutaretur. Sed id solum, & cuius sola ope locus non restituitur.

pag. 125. c. LXVIII. *Crebroq; vulgabat, ire in melius valetudinem principis, quò miles bonâ in spe ageret, tempusq; prosperum ex monitis Chaldæorum attentaret:*] Postremum hoc verbi nullo sensu capio. Muretus notauit, *aduentaret.* Ne id quidem mihi satisfacit, nisi legam *aduentare,* quod verum omnino puto. Agrippina nempe vulgabat aduentare prosperum tempus, quod Chaldæi promisissent. An legendum potius *Attenderet?* miles scilicet. Vtrumq; verisimile, neutrum alteri præfero. 52

IN ANNALIVM
LIB. XIII.



PAg. 126. c. I. *Asperâ custodiâ, & necessitate extrema ad mortem agitur*] Muretus, *adigitur.* quasi non idem alterum sit. 1

pag. 127. c. III. *Augusto promta ac profluens, qua deceret principem, eloquentia fuit*] Legendũ fortè, *qua deceret.* i. quatenus. 2

c. IV. *Non enim se negotiorum omnium iudi-* 3

cem fore, vt clausis vnam intra domum accusatoribus & reis, paucorum potentiâ grassaretur] Tolle apicem à fine vocis *potentia*, vt nominandi casu rectè capias.

4 c. v. *Ne designatis quidem quæstoribus edendi gladiatores necessitas esset*] Mouet hîc emphatica particula *quidem* Lipsium, vt de mendo suspiciat in loco lib. xI. verbum *adipiscerentur*: *P. Dolabella censuit spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum, pecuniâ eorum, qui quæsturã adipiscerentur.* Cur enim, inquit, ἐμφατικῶς hîc scriptũ, *Ne designatis quidẽ*: nisi quia anteà ex ea sanctione, dabant etiam Candidati? At tu scito particulã hanc hinc delendã, quæ iterata ex sequẽti lineâ: *Quod quidẽ aduersante Agrippina* &c. Ita totũ illud concidit: & Tacitus sibi non dissentaneus. Ponit auctor hoc exemplum decretorũ Senatus, *Ne designatis quæstoribus edendi gladiatores necessitas esset*: eâdem formâ, quâ alterum, quod præcessit, *Ne quis ad caussam orandam mercede aut donis emeretur.*

5 c. vI. *Contra. alii* (quorsum hæc interpunctio?) *melius euenisse dixerunt, quam si inualidus senectâ & ignauiâ Claudius, militiæ ad labores vocaretur, seruilibus iussis obtemperaturus. Burrhũ tamen & Senecam multarum rerum experientia cognitos: & imperatori quantũ ad robur deesse?*] Legam leui traiectione, *Burrhum & Senecam m. r. exp. cognitos: & tamen imp. q. a. r. deesse? cum octauo* &c. Sic omnino Tacitus voluit.

Datu-

Daturum planè documentum, honestis an se- 6
cus amicis vteretur, si ducem amotâ inuidiâ egregium, quàm si pecuniosum & gratiâ subnixum per ambitum diligeret] Sensus non constans sibi. Quomodo enim hinc, si egregium ducem amotâ inuidiâ, non pecuniosum & gratiâ subnixum per ambitum diligeret Nero, documentum ipsis, honestis an aliis amicis vteretur? Consequens sanè id non videtur. Nec adeò particulæ illæ optimè hærent, *si*, *quam si*. Melius erat posterius *si* omitti, vt *potius* vel *magis* Taciti more subintelligeretur. Sed Muretus bifidam sententiam facit, paullò alia lectione: *Daturum planè documentum, honestis an secus amicis vteretur, & si* (ita etiam in aliis libris) *ducem amotâ inuidiâ egregium, an pecuniosum & gratiâ subnixum per ambitum diligeret.* Scilicet vsum rariorem particulæ *si* pro *an* occasionẽ interpolandi dedisse. Quamquam ego profectò idipsum *si* nolim hîc agnoscere. Cur enim non addidit etiam præcedentibus sic, *si honestis an secus amicis vteretur?* Deleuerim igitur etiam ipsum, vt planè concinna sit oratio in hunc modum: *Daturum planè documentum, honestis an secus amicis vteretur* (*&*, quod in aliis libris, possis hîc si velis retinere) *ducem amotâ inuidiâ egregium, an pecuniosum & gratiâ subnixum per ambitũ diligeret.* Vlterius mutare vix mihi quidquam hîc permiserim. Venit tamen in mentem commoda etiam alia sententia, quam verba sic

concepta elegantissimè effecerint: *Daturum plane documentum, modestis an secus amicis vteretur, si ducem aut amotâ inuidiâ egregium, aut pecuniosum & gratiâ subnixum per ambitum diligeret.*

7 pag. 128. c. VII. *Nero & iuuentutem proximas per prouincias quæsitam supplendis Orientis legionibus admouere, legionesque ipsas propius Armeniam collocari iubet*] Legam *admoueri*, vt *collocari*.

8 *Simul pontes per amnem Euphratem iungi*] Muret. *amnem* delet.

9 c. VIII. *Par ciuium sociorumque numerus Corbuloni esset, additis cohortibus alisque, quæ apud Cappadociam hiemabant*] Muret. *cohortibus aliis, q. a. Cap.* &c. Vix abest, opinor, quin verè.

10 c. IX. *Et Vologeses quo bellum ex æquo modo pararet, an vt æmulationis suspectos per nomen obsidum amoueret, tradit nobilissimos ex familia Arsacidarum*] Lipsius superfluere vocem *modo* censet: Muretus mutat, *ex commodo*. Vter verius, non definio. Sed quæro, quomodo bellum parabat Vologeses, si obsides dabat? Finiebat imò & pacem iungebat. Legam ego, *quo bellum ex æquo componeret*. Clara & vera sententia. Possis fortè etiã scribere, *quo bellũ ex æquo patraret*: ac postea si lubeat leuiter mutatum τὸ *modo*, sequentibus inserere: *an vt æmulationis suspectos domo amoueret*. Sed quod primum dixi, mihi verum est.

11 *Accepitque eos Hostorius ab Vinidio* (rectè Lipsius

Lipſius *Numidio*: Muret. *Vindicio*:& ſic, vbicunque id nominis reperitur) *miſſus, fortè priore de cauſſà adito rege.*] Notauerat Muretus, *fortè prior ea de cauſſà.* quod non capio. Sed ſcribendum videtur, quomodo & ipſe fortaſſe voluit: *Hoſtorius ab Numidio miſſus, fortè prior, an eâ de cauſſâ adito rege.* Accepit obſides Hoſtorius, ſiue forte fortuna prior in regem inciderat, ſiue de induſtria occupauerat.

c. x. *Neque recepti ſunt in reos Carinas Celer Senator, ſeruo accuſante, aut Iulius Denſus equeſter, cui fauor in Britannicum crimini dabatur*] Inſolens additio hæc *equeſter*. Rectè opinor Muret. *eques R.* id eſt, eques Romanus. 12

Quem ob adulterium Meſſallina ordine remotum, reddidit Senatui] Nimiò mauolo ſimplex, *motum*. 13

pag. 129. c. xi. *Donec vi amoris ſubactus exueret obſequium in matrem, Senecaq; permitteret*] Lipſius hæret: ego indubitanter cum Mureto, *ſeq; Seneca permitteret.* Idem paullò poſt *celauerat* pro *velauerat*: ſed nulla ratione. 14

c. xiv. *Audiretur hinc Germanici filia, inde vilis rurſus Burrhus, & exſul Seneca, truncâ ſcilicet manu, & profeſſoriâ linguâ, generis humani regimen expoſtulantes*] De hoc loco eruditè Lipſius, & veram omnino puto eius lectionem, quæ & Mureto notata; *inde debilis Burrhus.* Nam vocem *rurſus* quod idem Lipſius mutare voluit, *rufus* etſi probabiliter aſtruit, non placet tamen: quia leuis nimium alluſio ad ſignificatum nominis Burrhus, & inconcinna duorum 15

adiectiuorum iunctio. Quid ergo eâ facien-dum? delēda. Nam nata ex geminata scriptione ipsius nominis *Burrhus*. Ceterum quod in Agricolæ lectionem deinceps inclinat Lipsius, vt pro *trunca manu* scribatur *tunicata manu*; satis ego mirari nequeo. Cōuellitur hoc recepto superior emendatio *debilis Burrhus*: quæ stabiliri eo debet omnino. Nec sane moribus & vitæ Burrhi conuenit, mollitiam illi & tunicas manicatas obiici. quod quare ita Lipsio visum, pariter miror. Supra longe aliud elogium homini tribuebat Tacitus, initio huius libri: *Diuersa arte ex aquo pollebant: Burrhus militaribus curis, & seueritate morum; Seneca praceptis eloquentia, & comitate honestâ.* Et infra de eodem sæpius.

16 *Simul intendere manus, aggerere probra: consecratum Claudium, infernos Silanorum manes inuocare, & tot irrita facinora*] Quorsum hæc postrema pertinebunt? nam hîc quidem incommodē admodum hærent. Nescio si fallor, sed mirum ni ex superiori illo loco exciderunt: *Non abnuere se, quin cuncta infelicis domus mala patefierent, sua inprimis nuptia, suum veneficium. Id solum diis & sibi prouisum, quod viueret priuignus.* Nam hic ego coner ita inserere: *Non abnuere se, quin cuncta inf. d. m. patefierent, s. i. nuptia, s. veneficium. Irrita tot facinora: id solum diis & sibi prouisum, quod viueret priuignus.* Sed vereor ne audax hoc nimis facinus sit.

17 c. XV. *Volutare secum modo matris violentiam, modo ipsius indolem, vt quidem experimento nuper cognitam, quo tamen fauorem latè quasiisset*] Capio

Capio *vt*, tanquam esset *vtpote*: & malim tamen rescribere *vti*.

Igitur ceteris diuersa, nec ruborem illatura; v- 18
bi Britannico iussit exurgeret progressusq; in medium cantum aliquem inciperet] Lege, *vni Britannico*. & sequentia sic interpunge: *irrisum ex eo sperans pueri sobrios quoq; conuictus, nedum temulentos ignorantis. Ille constanter exorsus est carmen, quo euolutum eum sede patria rebusque summis significabatur.*

pag. 130. *Vrgentibusq; Agrippinæ minis, quia* 19
nullum crimen, neq; iubere cædem fratris palàm audebat, occulta molitur] Verbum *iubere* palàm ab inepto glossographo est. qui phrasin illam apud Tacitum toties frequentatam aut non meminerat, aut non intelligebat.

c. XVI. *Solitum ita, ait, per comitialem morbum,* 20
quo primum ab infantia afflictaretur Britannicus, & redituros paullatim visus sensusq;] Muretus delet nomen *Britannicus*. & herclè melius est hîc subintelligi. Ego verò scribam etiam, *primâ ab infantiâ*. Sic Annal. I. *Hunc & primâ ab infantiâ eductum in domo regnatrice.*

Octauia quoq; quamuis rudibus annis, dolo- 21
rem, caritatem, omnes affectus abscondere didicerat]. Non sequendus Lipsius, *Octauiæ* scribens, & ad superiora illa trahens, *is* scilicet *pauor, ea consternatio fuit*. Pendent hæc non nisi ex seipsis. & aliàs tota turbatur orationis concinnitas.

c. XVII. *In campo tamen Martio sepultus est,* 22
adeò turbidis imbribus, vt vulgus iram Deûm

portendi crediderit aduersus facinus, cui plerique etiam hominum ignoscebant] Meo animo non aptus sensus è verbo *ignoscebant*: & scripsit haud dubiè Tacitus, *ingemiscebant*.

23 pag. 131. c. XIX. *Coniugioque eius etiam imperio Remp. rursus inuadere*] Muretus mutare voluit, *coniugioq; eius etiam petito*. Sed nihil mutandum. *Remp. imperio inuadere*, clara & elegans locutio.

24 c. XX. *Nec accusatores adesse, sed vocem vnius ex inimica domo afferri*] Hariolatur Lipsius, *sed vocem mimi ex mimica domo*. Meo iudicio nihil mutandum. Nam & illud *vnius* necessarium est. opponitur enim *accusatoribus*. & *inimicâ* non minus. Fidem enim eleuat delationis, quæ ab inimicis. Quod si dem tamen, quod non do, pro *vnius*, *mimi* debere substitui: illud plane nego *mimicâ* posse scribi. Quid enim? an mimica Domitiæ domus? Ad hanc enim & illa superiora, quæ de illa, respicitur: *Quippe inter Agrippinam & Domitiam infensa æmulatio exercebatur*. Nimis hoc temerè Lipsius, & non pro sueta accuratione.

25 c. XXI. *Deinde a Burrho postquam crimina & auctores exposuit, minaciter actum*] Quo respicit *Deinde*? an ad *postquam*? Nugæ. Tu leg. *Proinde*. Hoc dicit, quia Seneca & liberti aderant sermonis arbitri, ideò minaciter à Burrho actum.

26 *Nouissimam suscipiendæ accusationis operam anni rependunt*] Quas ego vidi Lipsii editiones, *anni*, omnes habent: & tamen claro meridie clarius

clarius eſt, *anui* ſcribendum. Silanam dicit: quàm paullò ſuperius *vergentem annis* dixerat.

Aut exiſtat qui cohortes in vrbe tentatas, qui prouinc. &c.] Totum hoc reliquum orationis Agrippinæ reſcribam, qua ex meis, qua aliorum coniecturis: *At* (ſic lego, non *aut*) *exiſtat, qui cohortes in vrbe tentatas, qui prouinciarum fidem labefactatam, deniq; ſeruos vel libertos ad ſcelus corruptos arguat. Viuere ego Britannico potiente rerum poteram?* (ſic volo cum Lipſio) *aut* (ſic lego, non *at*) *ſi Plautus, aut quis alius Remp. inuaſurus* (indubiè verum hoc Rodolphi pro vulgato *indicaturus*, vnde in primâ edit. Lipſii *vindicaturus*) *obtinuerit; deſunt ſcilicet accuſatores, qui mihi non verba* (ſic tranſpono. vulgò, *deſunt ſcilicet mihi accuſatores, qui non verba*) *impatientiâ* (an fortè *impotentiâ*) *caritatis aliquando incauta, ſed ea crimina obiiciant, quibus niſi à filio mater abſolui non poſſim.* Sine interrogatione. Nam ironicus ſermo eſt. 27

pag. 132. *Vbi nihil pro innocentiâ quaſi diffideret, nec beneficiis quaſi exprobraret differuit, ſed vltionem in delatores & præmia amicis obtinuit*] Lego & diſtinguo hæc ita: *Vbi* (id eſt, poſtquam) *nihil pro innocentiâ quaſi defenderet,* (omnino hoc Rodolphi mihi rectius, quam *diffideret*) *nec de beneficiis, quaſi exprobraret, differuit, ſed vltionem in delatores & præmia amicis, obtinuit.* 28

c.XXIII. *Nec tam grata Pallantis innocentia, quàm grauis ſuperbia fuit*] Puto voculam exci- 29

disse: *Nec tamen tam grata Pall.* nimirum etsi vanitatis manifestus erat accusator. quod præcessit.

30 c.xxv. *Aduersus ignaros adeò, vt ipse quoque acciperet ictus & ore præferret*] Veram hanc ait Lipsius lectionem: & stabilit Plinii loco lib: xiii. de Thapsia: *Nero Cæsar claritatem ei dedit initio imperii, nocturnis grassationibus conuerberatam faciem illinens sibi cum thure ceraque, & secuto die contra famam cutem sinceram circumferens.* At hic locus plane quidem contra eam ipsam lectionem stat. Nonne enim pugnant, ictus læsa facie palam præferre, & cutem sinceram circumferre? Nemo tam talpa est qui hoc non videat. Itaque vera illa quidem non est Taciti scriptura. Muretus notauit, *acciperet ictus, & ferret.* Sed forte non liceat abiicere reliqua illa prorsus, *ore præ:* scribaturque melius, *vt ipse quoque acciperet ictus ore, & perferret.* Nequid dissimulem tamen, vocem *ore* etiam ego deleuerim, & legerim, *acciperet ictus, & referret.*

31 *Deinde vbi Cæsarem esse qui grassaretur pernotuit, augebanturque iniuriæ aduersus viros feminasque insignes, & quidam simili licentia, sub nomine Neronis, multi* (Lips. rectè *inulti*) *propriis cum globis eadem exercebant, & in modum captiuitatis* (delibero adhuc, an melius Lipsius, *captæ ciuitatis*) *nox agebatur*] Non satis inter se vincta oratio, quia nimis vincta. Copula aliqua detrahenda est, nec tamen satis clarum, vbi potissimum. Tribus locis videtur posse: sed ego primo statim loco malim, vt scribatur, *augebantur*

tur iniuriæ. Certum mihi nunc, malè Lipsium interpretari vocem *Captiuitatis*. Non enim hîc carcer & custodia, sed capiendi ipse actus notatur. Sic & XVI. Annal *In cladibus exercituum, aut captiuitate vrbium* &c.

Milites sibi & plerosq; gladiatorum circumdedit, qui rixarum initia modica, & quasi priuata sinerent; si à læsis validius ageretur, arma inferebant] Rectè Muretus *inferrent*. non rectè idem *fererent*. Relinqui enim vulgatum *sinerent* sententia vult. 32

Ludicram quoq; licentiam, & fautores histrionum velut in prœlia conuertit, impunitate & præmiis] Lego, *fauores histrionum*. 33

C. XXVI. *Sed consules relationē incipere non ausi ignaro principe, perscripsêre tamen cōsensū Senatus. Ille auctor constitutionis fieret, vt inter paucos & sententia aduersos, quibusdam coalitā libertate irreuerentiam eò prorupisse frementibus* &c.) Mutilus censetur locus, & est fortassis. restitui tamen videtur ita posse, nihil vt deesse appareat. Tentauit Lipsius: *Perscripsêre tamen consensum Senatus illi, an auctor constitutionis fieret, vt inter paucos & sententia diuersos.* Sed non placet; nec opus tantâ mutatione. Leui particularum binarum traiectione sic res peragetur: *Perscripsere tamen consensum Senatus, ille auctor constitutionis vt fieret inter paucos sententia diuersos, & quibusdam* &c. 34

Quibusdam coalitam libertate irreuerentiam eò prorupisse frementibus, vi an æquo cū patronis iure agerent, sententiam eorum consultarent, 35

an verberibus manus vltrò intenderent, impellerentve pœnam suam dissuadentes] Occisus locus clamat Lipsius. Sed inter vespillones ad hoc funus, quos idem ait, tamen etiam ego. Ponam primò, vt legendum arbitror. deinde rationes dabo. *frementibus, vt iam æquo cum patronis iure agerent, sententiam eorum conculcarent; manus vltrò intenderent, illuderentve pœnam suam dissuadentes? Quid enim aliud læso patrono concessum, quã vt vicesimum vltra lapidem in oram Campaniæ libertum releget?* &c. Verba *æquo cum patronis iure agerent*, sic capiẽda, tamquam si eodem iure, quo patroni, viuerent siue essent. Id enim hîc est *agere*. & *æquum*, par siue idẽ. Deinceps voculas binas deleui, *an verberibus*: quia certum mihi, insita esse ab imperito nebulone. Et inserendi quidem τὸ *an* occasionem dedit corruptum verbum *consultarent*. Alterum intrusit, qui intentionem manuum non intelligebat, de qua apud Tacitum crebra mentio. Nesciuit inquam, quid esset *intendere manus*: atque ideò addidit *verberibus*. At manus intendere sine verberibus est, tantum initium rixæ & caussa verberum. De quâ re elegantissimè Lipsius ad IV. Ann. quo loco ipsum lege. Postremò *illuderent* scripsi pro *impellerent*. quia omnino Tacitus hoc, nescio tamen si illo verbo, voluit: insultare libertos patronis, & pœnam, quam statim subdit auctor, spernere, irridere, eamq; in ludibrium velut dissuadere aut deprecari. Hæc scripseram, cum respexi primum ad Mureti Eclogas. Illæ referebant in

hunc

hunc modum: *vt nec an æquo cum patronis iure agerent, sed iam coram insultarent, an verberibus manus vltro intenderent, impune, vel pœna sua gaudentes.* In quibus multa dissentanea sibi, sed multa, ita me Dii ament, egregia. Et iam horum ope, audeo dicere, eò iam perueni, vt à vero proximè vnus absim. Lego itaq; : *irreuerentiam eò prorupisse frementibus, vt non, tanquam æquo cum patronis iure, agerent, sed iam coràm insultarent, manus vltrò intenderent, impunè, vel pœnam suam despicientes.* &c. His sequentia optimè hærent. Ne illa verba eiicias, *an verberibus*, possis ita: *sed iam coram insultarent verbis; ac manus vltrò intenderent.* Sed mihi eiici magis placet: caussâ, quam supra dixi.

pag.133. *Ac criminum manifestos, meritò ad* 36
seruitutem retrahi] Muretus, *At*. Sanè possit etiam ita: sed non necessariò.

c.XXVII. *Priuatim expenderent caussam liber-* 37
torum, quoties à patronis arguerentur: in cõmune nihil derogent] Idem, *derogarent*. Hoc fortasse melius.

c.XXVIII. *Comprobauêre patres, incusatâ An-* 38
tistii licentiâ] Quid comprobauêre? certamen de quo præcessit? Non videtur. ac multo verisimilius legit Muretus, *Non probauêre*. Sed nec hoc satis facit ita nudè positum. Mihi diligentius inspicienti, nectendum hoc superioribus videtur, & ita scribendum: *Nam inter Vibullium prætorem, & plebei tribunum Antistium ortum certamen; quod immodestos fautores histrionum & à prætore in vincula ductos, tribunus*

omitti iussisset, composuêre patres, incusatâ Antistii licentiâ.

39 c.XXX. *Aminius Rebius ex primoribus peritiâ legum*] Lipsius diuinat, *Caninius Rebilus.* Sed ignotum tamen sibi ait hunc Iurisconsultum. Muretus notauerat, *Caninius Robilius.* Ego nihil amplius scio.

40 *At L. Volusius egregia famâ concessit: cui tres & nonaginta anni spatium viuendi, præcipuaque opes bonis artibus, inoffensa tot imperatorum malitia fuit*] Lipsius ambigit an *amicitia* scribendum: & Rodolphum legere, *militia*, testatur. Neuter rectè. Inserta copula scribendum, *præcipuaq; opes, & bonis artibus inoffensa tot imperatorum malitia fuit.* Optima & perspicua sententia. Magna certè illius felicitas, qui Taciti illud effatum 1. histor. in se verum non expertus est: *Nobilitas, opes, omissi gestiq; honores, pro crimine; & ob virtutes, certissimum exitium.*

41 c.XXXI. *Cum ex dignitate populi Rom. repertū sit, res illustres annalibus, talia diurnis vrbis actis mandare*] Muretus *repertum* delet. Ego dubito.

42 pag. 134. c.XXXII. *Redditur ordini Lusius Varius consularis, auaritiæ criminibus olim perculsus*] Muretus, *L. Varius.*

43 *Et Pomponia Græcina insignis femina Plautio, qui ouans se de Britanniis retulit, nupta ac superstitionis externæ rea, mariti iudicio permissa*] Indefinitus sermo, *qui de Britanniis ouans se retulit:* quando enim? sed idem nec Cornelianus.

Omni-

Omnino credo scriptum fuisse, & legendum, *quem ouasse de Britannis retuli.* Id tamen quo libro, non memini, nec sat scio, an in his qui exstat. In vita Agricolæ meminit quidem Plautii, sed non ouationis: *Consularium primus Aulus Plautius præpositus,* (Britanniæ sc.) *ac subinde Ostorius Scapula, vterq; bello egregius.*

Is q; prisco instituto, propinquis coram, de capite famaq; coniugis cognouit, & insontem nuntiauit] Cur non *pronuntiauit?* Id repone. Notauit & Muretus. 44

Longa huic Pomponiæ ætas, & continua tristitia fuit] Perspicua & indubitata lectio. Mirum tamen ni Tacitus, *continuatristitiæ,* scripsit. vt lib. VI. *Haud multo post Cocceius Nerua continuus principis* &c. Sed non minus elegans illud alterum: quomodo etiam lib. VI. eodem est, *Ipsi fluxam senio mentem, & continuo abscessu, velut exsilium obiectando.* 45

pag. 135. c. XXXVI. *Curam præsidiorum Pactio Orphito primipili honore perfuncto mandat*] *Pactius* insolitum Romanis vocabulum. Muret. mutat, *P. Attio Orphito.* & paullò post item, vbi *increpitumq; Pactium,* legit, *P. Attium.* Hæreo, & nec hoc admittere, nec vulgatum ferre possum. 46

Increpitumque Pactium, & præfectos, militesque tendere omnes extra vallum iussit: inque ea contumelia detenti, nec nisi precibus vniuersi exercitus exsoluti sunt] Credo Tacitum scripsisse, *Diuque ea* [in] *contumelia detenti.* 47

48 c.XXXVII. *Ita consilia Tiridati in contrarium vertebantur*] Muret. *vertebant*.

49 *Sin perstaretur in bello, non defore Arsacidis virtutē fortunamq́,sæpius clade Romana expertam*] Mur. inserit, *sæpius iam clade R. expertam*.

50 c.XXXVIII. *Placitum dehinc, quia commeantibus inuicem nuntiis, nihil in summa pacis proficiebatur, colloquio ipsorum tempus locumq́ destinari*] Lego, *in summam pacis*. Notauit *in summam* Muretus quoq; sed τὸ *pacis* idem deleuit. Malè.

51 *Ideo artum inde numerum finiri, & hinc maiorem afferri, vt dolus patraretur*] Lego, *offerri*.

52 *Dissimulato tamen intellectu, rectius de his quæ in publicum*] Benè & rectè Lipsius *intellecta*, vti quoq; Mur. Sed ego singulari numero malim, *intellectum*.

53 pag. 136. c. XXXIX. *Et Isteo Capitoni castrorum præfecto mandat*] De nomine *Isteo* Lipsius disputat. Mur. notauit *Atteio*.

54 cap. XL. *In cornibus pedes sagittarius, & cetera manus equitum ibat*] Muretus, *pedes sagittariusque* &c. Credo verius omnino.

55 pag. 137. c. XLI. *Nam cuncta extra tecta hactenus sole illustria fuêre: quod mœnibus cingebatur, ita repente atra nube coopertum* &c.] Locus certò corruptus. sed cui Lipsii medicina nihil subuenit. Is legit, *cuncta extrà, tecta tenus*. Ego audacter scribam, *Nam cuncta Artaxatis tenus sole illustria fuêre*. Si exemplum meminissem præpositionis *tenus* cum casu accu-

accusandi, facilius fieret ex litterarum ductu, *Artaxata tenus*. Omnino autem ex interpolato vrbis hoc nomine nata illa *extra tecta*.

pag. 138. cap. XLIV. *Tum vt assolet in amore & irâ, iurgia, preces, exprobratio, satisfactio; & pars tenebrarum libidine seposita*] Lego, *libidini*. 56

c. XLV. *Erat in ciuitate Sabina Poppæa, T. Ollio patre genita*] E Farnes. Lipsius ad marginem notauit *Ellio*. Muretus notauerat suo in libro, *T. Ælio*. 57

Sermo comis, nec absurdum ingenium modestiam praeferre, & lasciuia vti] Interpunge, *Sermo comis, nec absurdum ingenium; modestiam praeferre, & lasciuia vti.* 58

Rarus in publicum egressus; idque velata parte oris, ne satiaret aspectum, vel quia sic decebat] Malo, *aspectu*. 59

cap. XLVI. *Otho, siue amore incautus, laudare formam elegantiamque vxoris, apud principem: siue vt accenderet, ac si eadem femina potirentur, id quoque vinculum potentiam ei adiiceret*] Luxata orationis membra planè credo, & sic restituenda traiectione: *Otho, siue amore incautus, siue vt accenderet, ac s. e. f. p. i. q. v. p. e. adiiceret, laudare f. e. vxoris apud principem.* 60

Sæpe auditus est consurgens è conuiuio Cæsaris, se ire ad illam, sibi concessam dictitans nobilitatem, pulchritudinem, vota omnium, & gaudia felicium] Corruptum hoc. Lipsius variè tentat. Mihi liquet τὸ *dictitans* è turpi glos- 61

ſemate eſſe. quo ſublato, & quia in Budenſi codice non *ſibi* vel *ibi*, ſed *vbi*, hinc *vni* reſcripto (quæ eadem menda ſupra hoc libro) puto locum perſanari: *Sæpe auditus eſt conſurgens è conuiuio Cæſaris, ſe ire ad illam vni conceſſam nobilitatem, pulchritudinem; vota omnium, & gaudia felicium.*

62 *Sed accepto aditu, Poppææ primum per blandimenta & artes*] Mur. videtur voluiſſe, (nam ſcriptura non planè liquet) *Sed hoc cœpto aditu.* Ego malim, *Sed occœpto*, vel ſimpliciter, *ſed cœpto aditu.* Etiam *capto aditu* ſcribi poterat.

63 pag. 139. c. XLIX. *Cetera per omnes imperii partes egregia, quam ſi non Nero, ſed Thraſea regimen eorum teneret*] Lego, *quaſi non Nero.* Ita enim vſitatum. etſi *quaſi* compoſitum, ex *quam ſi.*

64 *Quæ ſi ſummâ diſſimulatione tranſmitterentur, quanto magis inanibus abſtinendum?*] Legam omnino, vt & Muretus, *Quòd ſi ſumma diſſimul.* Summa inanibus opponit. ne ſummam diſſimulationem accipias.

65 C. L. *Quippe ſublatis portoriis, ſequens vt tributorum abolitio expoſtularetur*] Muretus vult *ſequi.*

66 *Pleraſq, vectigalium ſocietates, à Conſulibus & tribunis plebis cōſtitutas, acri etiam populi Rom. tum libertate*] Muretus mutat, *vectigaliū neceſſitates.* Verè. Idem tranſponit, *acri etiam tum pop. R. libertate.* Non minus verè. Falsò paullò poſt, vbi, *vt ratio quæſtuum & neceſſitatis erogationum inter ſe congruerent*, legit *irrogationum.*

pag.

pag.140.c. LIII. *Ille inchoatum ante tres &* 67
sexaginta annos a Druso aggerem] Muretus, *tres
& quadraginta.*

Inuidit operi Ælius Gracilis] Lipsius è li- 68
bris, *Ælius Gracchus*. Muretus, *A. Gracchus*.
Statim:

Deterrendo Veterem, ne legiones alienæ pro- 69
*uinciæ inferret, studiaque Galliarum affectaret.
formidolosum id imperatori dictitans. quo ple-
runque prohibentur conatus honesti*] Traiectio
etiam hîc sine dubio est. Legas, *deterrendo Ve-
terem: formidolosum id imperatori dictitans, ne
legiones alienæ prouinciæ inferret, studiaq; Gal-
liarum affectaret. quomodo plerunque proh. c. ho-
nesti.*

c. LIV. *Auctore Verrito, & Malorige, qui* 70
*nationem eam regebant, in qua tum Germa-
ni regnabant*] Lipsius tentat, sed maioris vi-
tii suspectum locum habet. Verè. Non sana-
uit ille vlcus, & maius vitium latet: sed quod
nos tamen facile hac emendatione pellimus:
qui in nationem eam tum Germani regnabant.
Reliqua verba, quæ circumcidi, ex glossis, &
deinde ex hæsitatione librariorum nata. Vult
omnino eos fratres imperitasse ei nationi. Fri-
sios dicit. Lib. xi. dicit, *Aduenæ in nos regnaue-
runt.*

Minitando vim Romanam, nisi abscederent 71
Frisii veteres in locos] Deleo vocem *Frisii*, quæ
glossema, nulli hîc vsui. Per se enim clarum, de
his intelligendum.

c. LV. *Nomine Boiocalus, vinctum se rebellione* 72

Cherusca, iussu Arminii referens, mox Tiberio & Germanico ducibus, stipendia meruisse, quinquaginta annorum obsequia. Id quoq; adiungere, quod gentem suam ditioni nostræ subiiceret] Legam, *mox Tiberio & Germ. d. st. meruisse: quinquaginta annorum obsequio id quoq; adiungere, quod g. s. d. n. subiiceret.*

73 *Quotam partem campi iacere, in quam pecora & armenta militum aliquando transmitterentur? Seruarent sanè receptos gregibus inter hominum famam: modò ne vastitatem & solitudinem mallent, quàm amicos populos*] Lipsius initio, *Quò tantam.* vel *Quò eam.* Sed tamen vulgatam tolerat, & capere se ait. Nescio, quomodo capere, si medicina loco nulla alia adhibetur. Sed & in sequentibus scriberet *exceptos*, itē *famem.* Parum hæc aut nihil locum iuuant. Nos totum ita rescribimus ad veram sententiam: *Quotam partē campi iacere, è qua non pecora & armenta militum alimentis mitterentur? Saturarent sanè receptis gregibus tot hominum* (& fortè *interminam*) *famem; modò ne vastitatem & solitudinem m. q. amicos populos.*

74 pag. 141. C. LVI. *Et commotus his Auitus, patienda meliorum imperia. Id Diis quos implorarent placitum*] Trunca aut turbata Lipsius censet: legitq; tamen, *imperia ait. Diis quos* &c. Sana omnino omnia, si distinctionem mutes, *patienda meliorum imperia, id Diis quos* &c. & sub intelligas *respondit*, quod hîc non statim auctor addidit, sed paullò post subiecit: *Hæc in publicum Ansibariis respondit.*

C. LVII.


C. LVII. *Inde indulgentiâ numinum illo in amne, illisq; siluis salem prouenire, non vt alias apud gentes eluuie maris arescente vndâ, sed super ardentem arborum struem fusâ, contrariis inter se elementis, igne atq; aquis concretâ*] Rectè, *concretum.* quod & Mur. notauit. Sed leuis traiectio etiam hic, nam legendum: *eluuie maris arescente, sed vndâ super ard. arb. str. fusâ.* Ita Lipsius quoque primâ edit. indicauit: nec caussa erat cur reprobaret. Vidit hoc quoque Muretus: sed repetit vocem *maris, sed vnda maris sup. ard,* quod nemo probauerit. 75

Postremò tegmina corpori direpta iniiciunt, quantò magis profana & vsu (*viliori*, Lips. è prisca edit. rectè inserit) *polluta, tanto magis oppressura ignes*] Dele alterum *magis*, & scribe, *quanto pr. & u. v. polluta, tanto magis* &c. ex perpetuâ Taciti & peculiari consuetudine. 76

C. LVIII. *Eodem anno Ruminalem arborem in comitio, quæ super octingentos & quadraginta annos Remi Romuliq; infantiam texerat, mortuis ramalibus & arescente trunco deminutam*] Proba & liquida Lipsii putatio de annis non *quadraginta* sed *triginta.* Addam ego, vnde *quadraginta* nati, & hanc lineam velut expoliam. Vera Taciti scriptura fuit, *Eodem anno Ruminalem arborem in comitio super octingentos, & quæ triginta ante annos Remi* &c. *Quæ* illud additum voci *triginta*, fecit *quatraginta.* Ea particula post quia orationi necessaria videbatur, superius inculcata, vbi malè hæret, & sensum intricat. Quid enim verbi aptes ad illa, 77

quæ super octingentos? non potes profectò *texerat.* Sed in hac lectione, *arborem in comitio super octingentos*, omnia plana. & facillimum cuique videre, quid verbi subintelligatur.

IN ANNALIVM LIB. XIV.



1 PAg. 142. c. 1. *Diu meditatum scelus non vltra Nero distulit, vetustate imperii coalitâ audaciâ, & flagrantior in dies amore Poppææ*] Rectè sanè *flagrantior*. Malim tamen ego *flagrantiore*.

2 *Cur enim differri nuptias suas? formam scilicet displicere, & triumphales auos? An fecunditatem & verum animum? Timeri? ne vxor saltem iniurias patrum, iram populi aduersus superbiam auaritiamque matris aperiat.*] Sic Lipsius. saltem distinctione putat locum iuuari, acutiusq; quam verius Erricum Memmium coniecisse, *vterum annuum*. Quod quidem herclè & ego. de Memmii coniecturâ Lips. in primâ editione. Quomodo annuam fecunditatem suam iactare Poppæa possit, quæ vnicam ex Crispino prolem genuerit, ex Othone nullam. Auctores Tacitus libro superiore, & Seneca in Octauia. Sed quid est *verum ani-*

animum? Ferri hoc profectò non poteſt. Deinde male per interrogationem oratio effertur, quæ debet per εἰρωνείαν. Itaque etiam illud *an* non integrum, ſed abſque dubio integræ vocis reliquum fragmentum. Ego ſi meo modo liceat, ſic reſtituam: *Formam ſcilicet diſplicere & triumphales auos: ambiguam fecunditatem, & verum matrimonium. Timerine* &c. Pulchertimo & aptiſſimo ſenſu. ambigi de fecunditate & vero matrimonio: quod quale & quodnam ſit, intelligunt omnes, qui vel etymon matrimonii. Sententia quidem ergo accommodata: ſed an & veſtigiis litterarum reſpondet? Optimè. Retrahe capitale *m* à fine prioris vocis, & ex *mani* facillimè habes *matri*: ex *mum*, quid procliuius quam *monium?* Coniicere alias etiam liceat, *Formam ſcilicet diſplicere & triumphales auos, aut fecunditatem. Verum enimuero timeri* &c. Quid ſi legas? *An fecunditatem & vterum ambiguum?* *Vterum* eo modo, quo lib. XV. *Iam Senatus vterum Poppaæ commendauerat, Diis, votaque publicè ſuſceperat.* Et libro primo Annal. *Arminium ſuper inſitam violentiam, rapta vxor, ſubiectus ſeruitio vxoris vterus, vecordem agebant.* Velleius lib. II. *Iuliam* vocat *feminam neque ſibi neque Reip. felicis vteri. Fecunditatem & vterum*, id eſt, fecunditatem vteri. Talia ſunt quæ Douſa F. notat ad Propertium cap. XIV. Propert.

Ante Phrygem Aeneam collis & herba fuit.

Virg. XI. Æneid.—*volat igneus æquore Tarchon*
Arma virumq; ferens—
Georg. II.—*pateris libamus & auro.*

3 *Quod si nurum Agrippina non nisi filio infestam ferre posset, reddatur ipsa Othonis coniugio*] Legas vel *possit*, vel *redderetur*.

4 pag. 143. c. III. *Ferrum & cædes quonam modo occultaretur, nemo reperiebat, & nequis illi tanto facinori delectus, iussa sperneret, metuebat*] Malim *metuebant*, vel *metuebatur*, vt illud non de solo Nerone capias: quia & præcessit *nemo reperiebat*. nisi ibi rescribas etiam *non reperiebat*, aut *nemo* sic exaudias, vt *nullus* solet, ac *non* interpreteris. de quo memini aliquid dixisse ad Apuleium lib. I. Metamorph. c. IX.

5 c. IV. *Illuc matrem elicit, ferendas parentum iracundias, & placandum animum dictitans: quo rumorem reconciliationis efficeret, acciperetq; Agrippinam, facili feminarum credulitate ad gaudia venientem. Dehinc obuius in litora* &c.] Legam, *dictitans, quo r. r. efficeret. acceperatq;* (scilicet rumorem) *Agrippina, facili f. credulitate ad gaudia. Venientem dehinc obuius in litora* (*nam Antio aduentabat*) *excipit manu & complexu, ducitq; Baulos.* Possis & sic, *efficeret acciperetq; Agrippina*, &c.

6 *Stabat inter alias nauis ornatior, tanquam id quoq; honori matris daretur. Quippe sueuerat triremi, & classiariorum remigio vehi. Ac tum inuitata ad epulas erat* &c.] Nescio sententia quid alterius ordinis requirit. Deliberandum censeo.

Satis

Satis constat extitisse proditorem, & Agrippinam, auditis insidiis, an crederet ambiguam, gestamine sellæ Baias peruectam] Muretus *prouectam*. vt sit quasi porro vectam. Nec tamen opus. *Peruectam* subindicat quasi ad destinatum locum. 7

Ibi blandimentum subleuauit metum, comiter excepta superq; ipsum collocata. Nam pluribus sermonibus modo familiaritate iuuenili Nero &c.] Muret. *blandimentis*. Non adsentior. Et turbatiorem locum, quàm vulgò opinantur, sic totum repono: *Ibi blandimentum subleuauit metum. Nam comiter excepta, superq; ipsum collocata; pluribusq; sermonibus, modò familiaritate iuuenili Nero, & rursus adductus quasi seria consociaret, tracto in longum conuictu, prosequitur abeuntem, artius oculis* (fortè *osculis*) *& pectori hærens, siue explendæ simulationi*, (sic Lips. in primâ editione coniiciebat, vulgò, *explenda simulatione*. Muret. notauerat, *explenda è simulatione*) *seu perituræ matris supremus aspectus, quamuis ferum animum retinebat*. 8

c.v. *Agrippina & Aceronia eminentibus tecti parietibus fortè validioribus, quamuis oneri cederent, protectæ sunt*] Rectè, qui legunt, *quàm vt oneri cederent*. Ego etiam vocem *parietibus* parum Lipsio firmam, muto, *partibus*. 9

Visum dehinc remigibus, vnum in latus inclinare, atq; ita nauem submergere] Muret. *Jussum*. Nondum adsentior. 10

c. VI. *Illic reputans, ideò se fallacibus litteris* 11

accitam, & honore præcipuo habitam] Magis meo animo conuenerit hîc antiqua vox, *pellacibus literis*. Tales enim reuera erant; & ob id Suetonius *iucundissimas* vocat.

12 *Solum insidiarum remedium esse, si non intelligerentur*] Videatur excidisse participium *ratu*, aut quid simile. Tamen & absque illo Tacitum sat capio.

13 pag. 144. c. VII. *Siue ad Senatum & populum persuaderet, naufragium & vulnus & interfectos amicos obiciendo quod contra subsidiū sibi? nisi quid Burrhus & Seneca expergiscerentur*] Interpunge, *amicos obiciendo. quod contra* &c. *Nisi quid*. ad Plautum dixi Mostellar. cap. quarto.

14 c. VIII. *Aliam fere litore faciem nunc, solitudinem ac repentinos strepitus; & extremi mali indicia*] Lego, *Aliam fere litore faciem: nunc solitudinem, ac repentino strepitus; extremi m. ind.*

15 *Circumsistunt lectum percussores, & prior trierarchus fusti caput eius adflixit. Nam in mortem centurioni ferrum distringenti, protendens uterum, Ventrem feri, exclamauit; multisque vulneribus confecta est*] Ineptum *Nam*. Sed egregiè emendo: *& prior trierarchus fusti caput eius adflixit non in mortem. Centurioni ferrum* &c. Phrasis Taciti, *adflixit in mortem*. Lib. IV. Annal. *Is prætorem prouinciæ L. Pisonem pace incuriosum ex improuiso in itinere adortus, vno vulnere in mortem adfecit.*

cit. Et eodem libro: *Et illi quidem quos principium stragis in mortem adflixerat, vt tali sorte, cruciatum effugere.*

pag. 145. c. x. *Quia tamen non vt hominum vultus, ita locorum facies mutantur, obuersabatur maris illius & litorum grauis aspectus (& erant qui crederent, sonitum tubæ collibus circum editis, planctusque tumulo matris audiri) Neapolim concessit*] Parum cohærens oratio: & aut illa simul parenthesi includenda, *obuersabatur maris illius & litorum grauis aspectus*: aut potius abiectâ parenthesi, & insertâ voculâ *Igitur*, quæ perire perfacile potuit, sic reponendum: *Quia tamen non u. h. vultus, ita l. f. mutantur, obu. m. i. e. l. g. aspectus. & erant, qui crederent, son t. col. c. e. p. t. m. audiri. Igitur Neapolim concessit, litterasque a. S. misit.* &c. Statim: 16

c. x i. *Quarum summa erat, Repertum cum ferro percussorem Agerinum, ex intimis Agrippinæ libertis, & luisse eam pœnā eâ conscientiâ, quâ scelus parauisset*] Postrema hæc non mihi sana: neq; etiā Mureto, qui notauit, *luisse eam pœnam consciā, quod scelus parauisset.* Rectè ad sententiam: sed mihi cum verbis mitius agendū videtur. & certa credo coniectura est, *luisse eam pœnā conscientiâ, quia scelus parauisset.* id est, quia sceleris parati sibi conscia fuisset. Ita enim scenam hanc omnem criminis supra composuerat Anicetus: *Gladiumq; dū mandata perferi, abiecit inter pedes eius, tum quasi deprehenso, vincula inici iubet: vt exitium principis molitam matrem,* 17

& pudore deprehensi sceleris sponte mortem sumpsisse confingeret. Non minus πιθανῶς possit legi, *luisse eam pœnam ea constantia, qua scelus parauisset.*

18 *Ac postea quam frustra oblata sint, infensa militibus patribusq; & plebi, dissuasisset donatiuum & congiarium*] Bona sanè Romani codicis lectio, *optata*: melior mea, *captata*. Muretus voluisse videtur, *hinc postquam frustra habita sit*: Videtur inquam: nam scriptura mihi non liquebat, in voculis *hinc* pro quâ dubiè legebam & *hanc*, & *sit* pro quâ *sint*.

19 c. XIII. *Exstructos quà incederet spectaculorũ gradus*] Muret. *quaqua*. Parum opus.

20 pag. 146. c. XIV. *Ceterum euulgatus pudor non satietatem, vt rebantur, sed incitamentum attulit*] Muretus, *vulgatus*. quod etiam ego malim.

21 c. XV. *Postremò ipse scenam inscendit, multa cura tentans citharam & præmeditans, assistentibus familiaribus. accesserat cohors militum, centuriones tribunique: & mærens Burrhus ac laudans*] Multa in hoc loco ambigua, de quibus ordine videbimus. Primùm Lipsius è libris inquit, restitui, *ipse scenam inscendit*, cùm vulgò, *ipse scenas incedit*. Dubito an verè. Mouet ipsa locutio, *scenam inscendere*. nam quorsum hîc inscensio? Ferri vulgata scriptura possit: *Postremo ipse scenas* (vel potius *scenam* vt in Vaticano) *incedit*. Inusitatior hæc, sed Tacito etiam aliàs vsitata locutio. Nam supra lib. I. *Incedunt mœstos locos, visuq; ac memoria deformes*. Et infra

hoc

hoc libro: *Quia fontem aquæ Martiæ ad vrbem deductæ nando incesserat.* quod tamen rectius ab *incessendo* ducas. Porro in verbis, *assistentibus familiaribus*, magna dubitatio. Falsa Lipsius vult: & quia in Vaticano Farnesianoque, item Budensi fortasse, *faces*, supponit *facibus.* Firmat, sed locis parum firmis. quæ ne ego refutem, ipsa iterum phrasis lectionem istam refutet. Quis enim ita de facibus loquatur, *eas assistere?* Ac videtur ipse de restitutione dubitasse, cum alios diuinos inuocat, ad operam conferendam. Inter quos nescio si Muretus est, in cuius eclogis notatum reperi, *assistentibus fonascis*, siue *phonascis*. Valde quidem id acutè; & attemperatè. Sed mihi vulgatum retinere magis libeat, & defendere Suetonii illo reiecto loco: *Sorticulâque in vrnam cum ceteris demißâ intrauit ordine suo; simulque Præfecti prætorii citharam sustinentes; pòst Tribuni militum; iuxtaque amicorum intimi.* Etsi enim de publico theatro Suetonius: quid tamen impedit, quin idem hîc fuerit, vt alia pleraq; in vtriusq; descriptione, quamquam diuersa, conueniunt. Postremò inter verba, *accesserat cohors*, velim cum Mureto voculam immittere, *accesserat & cohors*: quæ necessaria ad nexum orationis.

Et pars ingenio procaces, alii in spe potentiæ] 22
Muretus *in* delet. Assentiar, vel *spem* reponam.

Hi dies ac noctes plausibus personare] Delere 23
videtur voluisse idem Muret. voculam *Hi*. sine

qua inconcinna tamen oratio. Nisi, quod mihi placeat, continuanda hæc cum superioribus, & locus totus ita legendus distinguendusque: *Tuncque*(vel, *tunc quoque*) *primum conscripti sunt equites Romani, cognomento Augustanorum, ætate ac robore conspicui. Hi pars ingenio procaces, alii spe* (vel, *in spem*) *potentiæ, dies ac noctes plausibus personare, formam principis vocemque Deûm vocabulis appellantes, quasi per virtutem clari honoratiq. agere.*

24 C.XVI. *Ne tamen ludicræ tantum imperatoris artes notescerent, carminum quoque studium affectauit, contractis quibus aliqua pangendi facultas. Necdum insignis ætatis nati, considere simul, & allatos vel ibidem repertos versus connectere*] Quod Lipsius de Mureti coniecturâ, idem ego de Lipsii. non damno: nec veram tamen esse credo. Mihi è veterum librorum lectione, quam Muret. hanc proponit, *Nec dum insignis ætatis taii considere simul & natos vel repertos ibidem versus connectere*, vt minimum à vestigiis abeatur, sic placet: *contractis quibus aliqua pangendi facultas, nec dum insignis erat. ii variis considere simul & natos repente ibidem versus connectere; atq. ipsius verba quoquomodo prolata supplere. quod species ipsa carminum docet, non impetu & instinctu*, (an *indistincto*) *nec ore vno fluens*. In quib. postremis possis etiam scribere, *nec tenore vno fluens*. Sed ego non mutê.

25 *Etiam sapientiæ doctoribus tempus impartiebat post epulas. vtq. contraria asseuerantium discordia*

cordiæ eruebantur] Legam, *rituq; contraria asseuerantium, discord. er.* &c.

pag. 147. c. XIX. *Sequuntur virorum illustriū mortes, Domitii Afri, & M. Seruilii, qui summis honoribus, & multa eloquentia viguerant. Ille orando caussas, Seruilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris & elegantiâ vitæ, quam clariorem effecit; vt par ingenio, ita morū diuersus*] Traiicit Lipsius, *& quem elegantia vitæ clariore effecit.* Sed quis non videt inconcinnitatem structuræ sequi? Male enim hærent, *elegantia clariorem effecit, par ingenio, morum diuersus.* Traiiciam & ego, sed alia: hæc. n. ipsa eiicio. Nam quid aliud iis faciam non video. Nihil huc quidem pertinent; vt clarum ex hac nostra restitutione: *ille orando caussas, & elegantiâ vitæ, Seruilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris, vt par ingenio, ita morum diuersus.* Seruilium cum Domitio comparat, & id more suo rotunda breuique oratione. quæ syrma illud reiectorum verborum respuit. Tamen pôssis & illa leuiter mutata retinere: *mox tradendis rebus Romanis celebris, quas clariores effecit.* Sed inepta talis additio, & quam Tacitus nunquam, me iudice, vsurpauit. 26

c. XX. *Vel si vetustiora repetas, stantem populū spectauisse: si consideret, theatro dies totos ignauiâ continuaret*] Notauerat Muret. *ne theatro d.* &c. ratus fortè eam particulam desiderari, & omissam inde, quia paullò post repetita, *Ne spectaculorum quidem.* At ego aio indidem eam ipsam retrahendam, atq; eo loco po- 27

nendam: *ne si consideret, ih. d. t. ignauiâ continuaret.* Sequentia sic planè scribenda & distinguenda, vt vera sententia enitescat: *Spectaculorum quidem antiquitas seruaretur, quoties pratores ederent,* (ita rectè Lipsius pariter & Muretus) *nullâ cuiquam necessitate certandi:* (al. *spectandi*, quod defendere possis loco libri decimisexti: *Quippe grauior inerat metus, si spectaculo defuissent.*) *ceterum abolitos paullatim patrios mores funditus euerti per accitam lasciuiam* &c. Ac caue in his postremis verbum *euerti* vel deleas, quod rectè posse censuerunt Lipsius & Muretus, vel mutes, *& verti*, quod permisit etiam Lipsius. Credo ego Tacitum *verti*, non *euerti* hîc scripsisse, quia simplex vbiq; magis amat. Lib. 11. *Vt versâ Cæsarũ sobole imperium adeptus est.* Lib. decimoquinto: *Sed prouisum quonam modo pœnas versæ Reip. daret.* Et Taciti hæc mens hoc in loco: pattrios mores, qui paullatim antea aboliti sint, nunc funditus euerti hâc lasciuiâ. quomodo paullò superius in eandem formam: *Nec vlla moribus corruptis olim plus libidinum circumdedit, quam illa colluuies.* Mores, inquit, qui iam olim corrupti, tum libidinibus in omne flagitium exarserunt.

28 *Proceres Romani specie orationum & carminum scenâ polluantur*] Verba non bonæ nec expeditæ sententiæ. Neque enim concessio esse potest. Censeo particulam *vt* excidisse: quâ repositâ nectantur superioribus: *Principe & Senatu auctoribus: qui non modo licentiam vitiis*

per-

permiſerint, ſed vim adhibeant, vt proceres Romani &c. Aut mutandum: *Proceres Romanos ſp.or. & c.ſcena pollui:quid ſupereſſe* &c.

An iuſtitiam augurii, & decurias equitum, egregium iudicandi munus expleturos, ſi fractos ſonos & dulcedinem vocum peritè audiſſent?] Corruptiſſimus locus: cui medendo ſe imparem Lipſius ſimpliciter fatetur, qui in primâ editione coniecit, *Iuſtitiam augeri.* Vertranius, *An ius augurum.* Ego ſanare poſſe videor, ſed audaci medicina. Omninò quidem hęc trahenda ad equites illos, quos conſcriptos ſupra memorauit ad celebrandos in ſcena plauſus Nerorone cantante. Ii *Auguſtani* vocati. quod nomen hîc librariorum ignorantiâ an oſcitantiâ interpolatum prius hoc modo, *Aniuſtitiam*, pro quo mox deinde hæſitantes alii ſcripſerunt, *augurii.* donec receptum in textum vtrumque. Nam mihi non dubium, quin vera ſcriptura ſit *Auguſtanos.* Sed totus locus etiam porrò ſic emendandus: *Auguſtanos*, (ironia eſt, ſine interrogatione) *& decurias equitum, egregiè iudicandi munus expleturos, ſi fractos ſonos & dulcedinem vocum peritè edidiſſent.* Tacitus de his ſupra: *Tuncque primum conſcripti ſunt equites Romani, cognomento Auguſtanorum, ætate ac robore conſpicui.* &c. Suetonius de hiſdem, ſed paullò aliter, Nerone cap. xx. ad finem. 29

Sed cœtu promiſcuo quod perditiſſimus quiſq; per diem concupiuerit, per tenebras audeat] Legam *conceperit.* 30

c. xxi. *Græci amictus quos per eos dies plerique* 31

inceſſerant, tum exoleuerunt] Ne admitte particulam *etiam*, quam Lipſius inſerit, *Græci etiam amictus*. Orditur nouam narratiunculam auctor, quæ nihil ſuperioribus hæret. Porrò pro *quos, quêis* lege cum eodem: non quod probari etiam poſſe credidit, *quos per eos dies pleriq́ue ingeſſerant*.

32 c. XXII. *Et omnium ore Rubellius Plautus celebratur*] Lego cum Muret. *celebrabatur*.

33 pag. 148. c. XXIV. *Vnde in regione Taurantium tranſgreſſus, improuiſum periculū vitauit*] Inſerenda mihi particula videatur, *vix vitauit*.

34 c. XXV. *At præſidium regiū, quod ferox iuuentus clauſerat non ſine certamine expugnatum eſt*] Muret notauit: *clauſa erat*. Accipio. ſed addo, præpoſitionem etiam addendam, *in quod ferox iuuentus clauſa erat*.

35 c. XXVI. *Abire procul ac ſpem belli amittere coëgit*] Melius, *omittere*.

36 pag. 149. *Pars Armeniæ vt cuique finitima, pars* Nipoliq, & Ariſtobolo atq, Antiocho parêre iuſſa ſunt*] Lipſ. prim. edit. coniicit, *Vt cuiq, finitima Arſinoë, Polemoniq, & Ariſtobolo*. Sed latet omnino nomen alicuius regis, ſed non in ſola voce *Nipoliq*, verū hanc præcedente etiam *pars*: quæ per ſe nihil orationi confert, imò etiam turbat, niſi ex hac ſimul & ſequenti nomen conflетur ignoti regis: quod eſſe *Thraſcypoliq*, Lipſius cenſuit, nec me iudice à vero abhorret. Nam mutilum locum nequaquam eſſe puto. Perfectus. n. ita ſenſus; Armeniæ pars Thraſcypoli, Ariſtobolo, & Antiocho, vt quæ cuique finiti-

finitima, data: reliqua tota nimirum Tigrani permissa.

c. XXVII. *Veterani Tarentũ & Antium ascripti non tamen infrequentiæ locorum subuenere*] Hîc quoq; præpositio desideratur, *Veterani in Tarentum & Antium ascripti*. Vel legendum, *Veterani Tarentum & Antium trascripti*. 37

c. XXIX. *Magnâ, dum vixit, seueritatis famâ, supremis testamenti verbis ambitionis manifestus*] Lipsius τὸ *verbis* delet: ego cũ Mureto etiã *testamenti*. Leg. *Supremis ambitionis manifestus*. id est, fine vitæ. Lib. XII. *Ne admotus supremis Claudius, & dolo intellecto, ad amorem filii rediret*. 38

Nauesq; fabricatur plano alueo aduersus breue litus & incertum] Delenda plane vox *litus*, Mureti etiã iudicio. quã Lipsius primâ editione abfuisse testatur à suis libris: & quidni, ait, Breue sic dicamus, vt Breuia maris? Mirum cur hoc postea spreuerit. Breuia enim hîc omnino Tacitus intelligit. 39

c. XXX. *In modum Furiarum, veste ferali, crinibus deiectis, faces praferebant*] Fortean melius *disiectis*, vel *reiectis*. 40

pag. 150. c. XXXI. *Ad hæc templũ diuo Claudio constitutũ, quasi ara æterna dominationis aspiciebatur*] Lipsius, *arra*, quid si *arx*? Nam & Romæ templum Capitolinum dictũ nomine Arcis: & Athenis ἀκρόπολις, templum Mineruæ. 41

c. XXXII. *Et feminæ in furore turbatæ, adesse exitium canebant. Externosque fremitus in curia eorum auditos, consonuisse vlulatibus thea-* 42

trum, visamque speciem in aestuario, notam esse subuersae coloniae] Primùm legerim, *Externos quippe fremitus.* Postrema Muretus mutauerat, *visamque speciem maestam subuersae coloniae.* At Lipsius ex Dione, *visamque adium speciem in aestuario notam esse subuertendae coloniae.* Verba Dionis, quæ huc faciunt: οἰκίαι τέ τινες ἐν τῷ Ταμέσᾳ ποταμῷ ἔνυδροι ἑωρῶντο. Ex quibus liceat & mihi nulla insigni mutatione proximè ad vestigia vulgatæ lectionis rescribere: *visamque speciem in aestuario, nomine Tamesa, submersae coloniae.* quod etsi plane cũ Dione non consentit, Tacitum tamen sic scripsisse ego non dubito.

43 *Neq; fossam aut vallum praeduxerunt, neque motis senibus & feminis, iuuentus sola restitit: quasi media pace incauti, multitudine barbarorum circumueniuntur*] Puto inserendũ: *restitit. Ita quasi media p. i. m. b. circumueniuntur.*

44 C. XXXIII. *Neque fletu & lacrymis auxilium eius orantium flexus est, quin daret profectionis signum, & comitantes in partem agminis acciperet*] Et sententia, & orationis structura melior erit, si cum sequentibus ita hæc nectantur: *flexus est; quin d. p. signum. Et comitantes in partem agminis acceperat: si quos imbellis sexus, aut fessa aetas, vel loci dulcedo attinuerat; ab hoste oppressi sunt.*

45 *Eadem clades municipio Verulamio fuit, quia barbari omissis castellis praesidiisque militarium, quod uberrimum spoliant, & deferentes in tutum, laeti praedâ, & aliorum insignes petebant*] Reponit Lipsius scriptam lectio-

lectionem, *& defendentibus intutum*. Rectè. at sequentia per me, inquit, in mēdo manent. Etiam præcedentia, ô bone. Nos totum locum sic persanamus, *quod vberrimum spoliantibus, & defendentibus intutum, læti præda, & aliorum segnes, petebant*. Clarissima elegantissimaque sententia. Vox *segnis* eodem modo vsurpatur lib. XVI. *Inquies animo, & occasionum haud segnis.*

Sed cædes, patibula, ignes, cruces, tamquam reddituri supplicium, ac prærepta interim vltione festinabant] Assentior Lipsio legenti *redditurис*. Mureto non possum, qui aliquo item sensu, sed à Taciti, vt opinor, diuerso notauerat: *tanquam redemturis supplicium, ac præterita interim vltione fest*. Lips. primâ editione coniiciebat etiam *redemturi*. 46

c. XXXIV. *Iam Suetonio quartadecima legio cum vexillariis, vicesimariis, & è proximis auxiliares, decem fermè millia armatorum erant*] *Vexillariis vicesimanis*. 47

pag. 151. c. XXXV. *Solitum quidem Britannis feminarum ductu bellare testabatur, sed tunc non vt tantis maioribus ortam regnum & opes, verum vt vnam è vulgo* &c.] Muretus inserit, *sed se tunc*. Rectè. Estque tum alius hîc denuò versus, 48

Sed se tunc non vt tantis maioribus ortam.

c. XXXVI. *Gloriæque eorum accessurum, quod modicâ manu, vniuersi exercitus famam adipiscerentur*] Prorsus mihi persuasi Tacitum scripsisse, *quod modica manus vniuersi exerc. f. adipisceretur*. 49

50 c. XXXVIII. *Sed nihil aquè quam fames affligebat, serendis frugibus incurioso hoste,* (ea indubiè vera lectio) *& omni ætate ad bellum versâ, dum nostros commeatus sibi destinant, gentesq; praferoces tardius ad pacem inclinant: quia Iulius Classicianus successor*] Vltima hæc aliter scribe & distingue: *sibi destinant: gentesq; praferoces tardius ad pacem inclinabant, quia Iul. Class.* &c.

51 *Cuius aduersa, prauitati ipsius; prospera ad fortunam Reipub. referebat*] Quorsum hîc addi opus vocem *Reip?* Ego sanè quia in Romana editione, *prospera fortunæ*, nec satis concinna lectio, *referre fortunæ* vel *prauitati*; scribendum coniicio, *prospera fortunæ accepta referebat.* Modius Epist. v. Nouantiq. *Prauitati ipsius, prospera fortuna Reip. referebat.*

52 pag. 152. c. XXXIX. *Detentusque rebus gerundis Suetonius, quòd post paucas naues in litore, remigiumque in iis amiserat, tanquam durante bello tradere exercitum Petronio Turpiliano* &c. *iubetur*] Muretus, *quamquam.* rectè. Sed me etiam *post* illud torquet, cuius nullum vsum hîc video. vereorq; ne paucula quædam alia eo loci desint. Tale forte quid, *quòd hostium prædatu paucas* &c. vel *quòd tempestate paucas* &c. Certum quid non video in tota ista parte. Etiam de quo litore loquitur? quomodo si naues amisit, remigium in iisdem amisisse dicitur?

53 c. XL. *Eius propinquus Valerius Fabianus capessendis honoribus destinatus, subdidit testamentum*] Lego cum Mureto, *Ei.*

C. XLIV.

C. XLIV. *Libet argumenta conquirere in eo, quod sapientioribus deliberatum est. sed & si nunc primum statuendum haberemus* &c.] Negationem addendam scio, *Non libet*. Forte legendum, *Sed ut*, id est, tanquam, pro *sed &*. 54

Sane consilium occuluit, telum inter ignaros parauit] Posterius hoc interrogatione efferri placeat; *Sanè consilium occuluit: telum inter ignaros parauit?* Atque etiam repeti hoc verbum, eadem concessionis figura: *parauit: num excubias transiret, cubiculi fores recluderet*, &c.? 55

pag. 153. *Multa sceleris indicia praeueniunt serui*] Muret. distinxit: *praeueniunt. Serui si prodant, possumus singuli inter plures* &c. Verè. Sed nec dum veram sententiam assequére, ni etiam scribas: *Multa scelus indicia praeueniunt*. 56

At quidam insontes peribunt. Nam & ex fuso exercitu, cum decimus quisque fuste feritur, etiam strenui sortiuntur] Videatur & hîc negatio reponenda cum hac lectione: *Non & ex fuso ex. c. d. q. f. f. e. str. sortiuntur?* Sed non est. Eadem ratio obiiciendi & respondendi, quæ & infra hoc libro, *Bellò & periculis meruerant. In his enim iuuenta Augusti versata est.* 57

C. XLV. *Ne mos antiquus, quem misericordia non minuerat, per sæuitiam incenderetur*] Credo omnino *intederetur* hîc ab auctore scriptum, quo verbo frequenter vsus aliàs: etsi illud eodem sensu. 58

C. XLVIII. *Tum primum reuocata ea lex credebatur, qua haud perinde exitium Antistio, quam* 59

imperatori gloriam quæsiuit, vt condemnatus à Senatu, intercessione tribuniciâ morti eximeretur] Æstuat hîc Lipsius: nec cuneum reperit huic nodo, quem sola particula *quæ* nectit. Expedit tamen Iosias Mercerus, *quâ haut perinde.* vt ad accusatorem referatur, non ad legem. Benè profectò. Sed eandem in sententiam vt de lege quoque ipsa acciperetur, voluerat Muretus, notaueratque legendum, *quæreret.* Mihi alterum horum satisfaceret, nisi locutio ista dissuaderet: *Tunc primum reuocata ea lex credebatur.* Quid, credebatur? ineptè. quasi id non certum. Reuocata tum primum Lex Maiestatis fuit, quæ tam diu sub Nerone acquieuerat. Remouendum igitur hinc illud *credebatur*, & cum sequentibus iungendum: quomodo eorum expeditissima sententia, & verissima Taciti scriptura confiet: *Tum primum reuocata ea lex: credebaturq; haud perinde exitium Antistio, quàm Imperatori gloriam quæsisse.* quamquam hoc postremum variam admittit mutationem: necdum satis constitui, quid potissimum recipiendum. Possit, *gloriam quæsitam; gloria quæsita; gloriam quæri; gloria quæri*: denique & *gloriam quærere.*

60 *Quin insula publicatis bonis, quò longius sontem vitam traxisset, eò priuatim miserior, & publicè clementiæ maximum exemplum futurum*] Muretus optimè, vt & Lips. primâ editione, *In insula p. b. q. l. s. v. t. eò priuatim miseriorem, & publ.* &c.

61 pag. 154. c. 50. *Haut dispari crimine Fabricius Veiento*

Veienio conflictatus est, qui multa & probrosa in patres & sacerdotes composuisset] Legendum *quia*, vel *quod*, quorum hoc Muretus notauerat.

Adiiciebat Talius Geminus accusator] Mur. *T. Allius*. Habet & Lipſ. prim. edit. Poſtea ſpreuit, & fortè meritò. 62

c. LI. *Quod in se tumescentibus paullatim faucibus & impedito meatu, spiritum finiebat*] Muret. *quod intumescentibus*. Ego vulgatum non mutem. 63

Alterius flagrantissima flagitia & adulteria] 64
Notatum in Mur. excerptis, *& ad vltimum*. quod ſupponi voluerit pro illis, *& adulteria*; an interſeri, *flagitia, & ad vltimum adulteria*, neſcio. Neutrum quidem mihi probabile. Illud non poteſt omnino: hoc poſſit; ſed nullâ neceſſitate, aut leui ſaltem cauſsâ.

Sofonium Tigellinum, veterem impudicitiam 65
atque infamiam in eo secutus, ac quæ illi pro cognatis moribus fuere.] Torquent ſe viri docti in hoc loco. Lipſius è Vaticano tentat: *pro gentis maioribus*. Mureto notatum, *pro gente & moribus*. Lipſius iterum: *vt qui illi pro geminis moribus faueret*. Sed labitur deniq; idem, vt veram Farneſiani libri putet ſcripturam, *Atq, illi pro cognitis moribus fuere*: ductus eo potiſſimum, quod P. Victor velut à Tacito mutuatus, eadẽ phraſi in Othone vſus ſit, *præcognitis moribus*. quod mihi leue adeo videtur, vt nihil ſupra. Amplector & ego in parte Farneſianam lectionem: ſed iungenda hæc moneo cum ſequen-

tibus, à ſuperioribus auulſa. & legendum denique poſt tot errores: *Quippe Cæſar duos prætoriis cohortibus impoſuerat: Fenium Rufum ex vulgi fauore, quia rem frumentariam ſine quæſtu tractabat: Sofonium Tigellinū, veterem impudicitiam ac infamiam in eo ſecutus. Atque illi, pro cognatis moribus, fuere; validior Tigellinus in animo principis, ex intimis libidinibus aſſumptus; proſperâ populi & militum famâ Rufus, quamquam nec Neronem aduerſum experiebatur.* Sic enim & poſtrema hæc ſimul emendamus, pro quibus vulgò nulla ſententia, *quod apud Neronem.* Vitii origo, quòd pro *quanquam* primò ſumptum *quodquod*, quorum alterum poſtea mutatum in *apud.* & *nec* facile omiſſum propter *Ner.* De Fenio & Tigellino Tacit. lib. XV. *Summum robur in Fenio Rufo præfecto videbatur, quem vita famaque laudatum, per ſæuitiam impudicitiamq; Tigellinus in animo Principis anteibat.* Malim tamen nunc: *infamiam in eo ſecutus, ac quia illi pro cognatis moribus faueret.* id eſt, propter morum cognationem, ſimilitudinem, congruentiam, vt Suetonius de Othone in re ſimili cap. II. Illud *ex intimis libidinibus aſſumptus*, poſſis mutare *Et intimis lib. aſſumptus.*

66 C. LII. *Illudere voces, quoties caneret*] Mur. *vocem*, melius. Niſi fuerit *Vocei*, id eſt, Voci.

67 C. LIII. *Ego quid aliud munificentiæ adhibere potui, quam ſtudia, vt ſic dixerim, in vmbra educata? è quibus claritudo venit, quod iuuenta tua rudimentis affuiſſe videor, grande huius rei* pre-

pretium. at tu gratiam immensam] Legam, *in vmbra educata? & quibus* &c.

pag. 155. c. LIV. *Superest tibi robur, & tot per annos nixum fastigii regimen: possumus seniores amici, quiete respondere*] Intricata verba, è quibus sententia tamen vtcunque elucet. Varii variè mutarunt. Vertranius: *possimus seniores animum quieti per te spondere.* Lipsius nunc, *possumus seniores amici quietem iure spondere*; nunc, *poscimus seniores amici quietem.* Muretus nihil hìc iuuat: qui *poscimus* saltem adnotauerat. Nos persanabimus etiam hunc locum, post tot præstantium virorum irritos conatus. Lego & distinguo: *Superest tibi robur: & tot per annos nixum fastigii regimen possumus seniores amici quiete reponere*, vel *deponere*. Quod verum probant quæ subiunguntur: *Hoc quoq; in tuam gloriam cedet, eos ad summa vexisse, qui & modica tolerarent.* Sed referebat mihi Dn. Pinellus, Ioannem Petrum Maphæum, virum doctissimum, qui nunc Romæ ageret, & in Tacito, Liuio aliisque auctoribus multa obseruasset, hunc locũ sic interpretari, vt nihil mutetur. Esse enim metaphoram ab agricultura. Vt terra respondet agricolarum votis, si aliquando quiescat: ita amicos seniores Neronis satisfacturos ei etiam in ista ætate, si otium sibi concedatur. Quod præcedit, *Nixum fastigii regimen*, sic capiebat Pinellus: Superesse Neroni robur, & per tot annos iam sustinuisse imperii onus, vt & sciret & solus sufficeret. 68

c. LV. *Attamen neutrum datis à se præmiis exuit*] Malim *Ac tamen.* quod & Muretus. 69

Sequentibus *At* præponi velim, vt obiectio clarior & robustior sit: *At bello & periculis meruerant. In his enim iuuenta Augusti versata est.*

70 C. LVI. *Nisi forte aut te Vitellio ter cōsuli, aut me Claudio præponis*] Muretus voluerat, *aut mihi Claudium præponis*. Rectè, sed in parte. Rectius Lipsius, *postponis*, vel addita negatione, *non præponis*. quorum illud ego malim. Sed & sequētia, *Sed quantum Volusio longa parcimonia quæsiuit, tantum in te mea liberalitas explere non potest*, leuiter mutanda, & cum antecedentibus nectenda hoc modo: *Nisi forte aut te Vitellio ter Consuli, aut me Claudio postponis: & quantum Volusio longa parcimonia quæsiuit, tantum in te mea liberalitas explere non potest.*

71 *Inornatumque robur subsidio impensius regis*] Non placet & mihi *inornatum*: sed magis vtique quam aut *inordinatum* Lipsii, aut *innatum* Mureti.

72 C. LVII. *Et simulatorem segnitiæ, dum temeritati locum reperiret*] Notat in hanc sententiam hîc loca aliquot Lipsius: nollem omissum de hoc ipso Sylla istum lib. XIII. *Suspectabat maximè Cornelium Syllam, secors ingenium eius in contrarium trahens, callidumque & simulatorem interpretando.*

73 pag. 156. C. LVIII. *Hæc in ore famæ, credentium otio agebātur*] Sanè acutè Modius, *more famæ credentium otio augebantur*. Muretus non minus, *Hæc more famæ præsentium odio augebantur*. Sed vtrumuis accipias, *in ore famæ* nolim

lim mutari, quæ elegans dictio. Plin. Panegyr. ex Lipsii emendatione, *Sunt in ore hominum, & in ore famâ magna nomina* &c. Tacit. libr. II. histor. *Erat tamen in ore famaq; Vespasianus*. id est in ore famæ. Curtius, nescio quo libro, *Rumorem* dixit *otiosi militis vitium*; & alibi, *Otium alendis vel ferendis rumoribus natum*.

Effugeret segnem mortem, otium, suffugium, 74
& magni nominis miserationem] Suspecta Lipsio, *otium, suffugium*. quæ Muretus mutabat, *Effugeret segnem mortem hostium suffugio*. Sed parum conuenienter. Mihi, si hæc deleantur, rectè habitura reliqua videntur.

C. LIX. *Cuius aspectu, ipsa principis verba re-* 75
feram] Parenthesi hæc aptius includantur: *Cuius aspectu (ipsa pr. v. ref.) quin, inquit, Nero deposito metu nuptias Poppææ ob eiusmodi terrores dilatas maturare parat*. Melius secunda persona fuerit, vt hæc ad seipsum, *paras*. quod & Mureto visum.

Sed ad Senatum litteras misit] Mur. *Sed & ad* 76
Senatum &c.

C. LX. *Mouetur tamen primo dissidii ciuilis* 77
specie] Malim, *Amouetur tamen, primo ciu. dis. specie, domumq; Burrhi & prædia Plauti, infausta dona, accipit: mox in Camp.* &c.

His hautquaquam Nero pœnitentiâ flagitii 78
coniugem reuocauit Octauiam] Locum mutilum & fractum clamat Lipsius, & in quo frustra sine libris allaboretur. Forte est ita: & sanè frustra Agricola: *His motus Nero, an pœnitentia flagitii.* Frustrà & Muretus, qui transponit

tantum: *His, haudquaquam pœnitentiâ flagitii Nero coniugem* &c. Requiritur enim verbum omnino ad voculam *His*. Nos tamen, vt spero, feliciter & verè sic: *His auditis, tanquam pœnitentiâ flagitii, Nero coniugem reuocauit Octauiam*. Ita est: simulabat Nero pœnitentiã. Verbum *auditis*, truncatum, vt multa in his libris alia. Ex *quaquam* nihil facilius, quam *tanquam* rescribi. Nomen Neronis siue traiicias, siue deleas prorsus, perinde est.

79 C. LXI. *Exin læti Capitolium scandunt, deosq́ tandem venerantur*] Non fero hîc *tandem*. Lego, *Deosq́ aduenerãtur*. Damnauit hoc *tandem* etiam Lipſ. prim. edit. sed nihil extricauit.

80 *Itur etiam in principis laudes, repetitum venerantium*] Corrupta hæc postrema lineolâ subduxerat Muretus; nescio vtrũ ignarus, quid iis faceret, an delenda ratus. Quod mihi quidem videatur: qui è margine credo huc irrepsisse, hac occasione. Iterauerat hîc fortè librarius verbum *venerantur*, quod paullò antè præcesserat. eum librarii errorem animaduertens studiosus quidam ad oram libri notauerat, *repetitum venerantur*. Post in textum id receptum leui cum mutatione. De hoc ita censeo. Nam Taciti oratio integra: *Itur etiã in Principis laudes: iamq́ & palatium multitudine & clamoribus complebant* &c.

81 pag. 157. *Et modicis remediis primos motus consedisse. at si desperent vxorem Neronis fore Octauiam, illi maritum daturos*] Dubitat, an integra, Lipsius. idem legit, *An si desperent?* Vnde sen-

sententiam nullam expedio. Mihi integra sunt, leuissimâ mutatione, *ac* pro *at* scribenti. Facile, inquit, motus illi componentur, & in se consident. Atque vbi de Neronis nuptiis desperatum erit, alium Octauiæ maritum quærent.

c. LXII. *Sed parum valebat suspicio in seruo,* 82
& quæstionibus ancillarum eluserat] Placet & mihi, Lipsio placita Lectii coniectura, *elusa erat*: magis quidem quam Mureti, *illusum erat*.

Plura etiam quàm iussum erat fingit] Malim, 83
iussus.

c. LXIII. *Huic primùm nuptiarum dies loco* 84
funeris fuit] Caue mutes, *primus*. Illud verum.

c. LXIV. *Ac puella vicesimo ætatis anno*] Mur. *At*. Vulgatum *ac* retineo.

Cum iam viduam se & tantum sororem testa- 85
retur, communeq; Germanici, & postremò Agrippinæ nomen cieret] Mur. *communesq; Germanicos*; Lipsius, *cum manesq; germani*. Neutrum placet præ vulgato, cuius sententia, quam Lipsius idem tetigit, optima.

IN ANNALIVM LIB. XV.

1 Ag. 158. c. I. *Iam de Armeniâ concessum, proxima trahi: & nisi defendant Parthî, leuius seruitium apud Romanos deditis, quã captis esse*] Transpositione copulæ sententia explicanda: *Iam de Armenia concessum: proxima trahi, nisi defendant Parthi: & leuius seruitium* &c.

2 c. II. *Tiridates quoq; regni profugus, per silentium haut modicè querendo, grauior erat.*] Cuius mendum hîc suboleat. Quomodo enim per silentium, & nec modicè, querebatur? Nec tamen hoc aduerterunt viri magni: nisi Muretus ante nos; cum quo verè scribimus, *per silentium, aut modicè querendo.*

3 pag. 159. c. v. *Casperius Centurio in eam legationem delectus*] Muretus, *C. Asperius.*

4 c. VI. *Hæc plures vt formidine regis, & Corbulonis minis patrata & magnifica extollebant*] Mur. *patrata magnificè extolleb.* Assentiar, nec tamen vulgatum damnem.

5 pag. 160. c. x. *Si Pato aut in suis, aut in alienis consiliis constantia fuisset*] Deesse vocem credo post *in suis.* Neque *constantia* accommodari illuc videtur posse, si sequentia ista spectentur: *Verum vbi à viris militaribus aduersus vrgentes casus firmatus erat, rursus ne aliena sententia indigens videretur, in diuersa ac deteriora*

trans-

transibat. Forte verum, *Si Pæto aut in suis vis, aut in alienis consiliis constantia fuisset.*

Tria millia dilectorum proximo Tauri iugo imposuit, quò transitum regis arcerent] Mur. maluit, *qua.* Mihi vtrumque eodem loco. 6

Expediri tamen itineri singula millia ex tribus legionibus, & alarios octingentos, parem numerum è cohortibus iussit] Vel *ex alariis octingentos.* Sed dubito an eâdem sententiâ. 7

pag. 161. c. XII. *Comitabantur exercitum præter alia assueta bello, magna vis camelorum onusta frumento*] Mur. *Comitabatur.* Ad quid vero? 8

c. XIV. *Illum locum tempusq; consilio destinatum quid de Armenia cernerent. Adiecisse deos dignum Arsacidarum, simul & de legionib. Romanis statuerent*] Desperatus Lipsio locus, qui tria de eo verba hiscere non potest. Ego aliquid, imò multum possum, sed certi tamen etiam nihil. Ille edition. primâ sic: Mihi quidem hic locus inter nefastos est, de quo tria verba profari non audeam. Vertranius legit, *Adiecisse eos, dignum Arsacidarum simul vt de Romanis leg. stat.* hoc sensu, Adhibuisse fratres in consilium, dignum esse Arsacidis, vt vnà de legionibus Romanis deliberarent. Rhenanus, *Adiecisset eos, dignum.* Ferretus, *Quid de Armenia cernerent adiecisse Deos. Dignum Ars. s. e.* Ego, inquit Lipsius, parendum Hippocrati censeo, & à desperatis abstinendam medicinam. Visum tamen mihi est primò transponere: *Illum locum tempusq; consilio destinatum, quid de Ar-* 9

meniâ, regno Arſacidarum, cernerent: adieciſſe deos, ſimul vt de legionibus Romanis ſtatuerent. Poſtea ſine trāſpoſitione legebam ſaltem, *Adieciſſe deos faſtigio Arſacidarum, ſimul & de leg. R. ſtatuerent. Faſtigium Arſacidarum*, initio etiam huius libri dixit: *Spretum Arſacidarum faſtigium ire vltum volens.* Poſſit etiam: *Adieciſſe deos, de regno Arſacidarum ſimul & de leg. R. ſtatuerent.* Quid ſi legatur? *Illorum* (fratrum ſcilicet) *conſilio locum tempusq; deſignandum, quo de Armeniâ cernerent. Adieciſſe deos Arſacidarum faſtigio dignum, ſimul vt de legionibus Romanis ſtatuerent.*

10 C. XV. *Interim fluuio Arſameti (is caſtra profluebat) pontem impoſuit, ſpecie ſibi illud iter experientis. Sed Parthi quaſi documentum victoriæ iuſſerant. namque iis vſui fuit. Noſtri per diuerſum iere*] Feliciter è Dione Lipſius ſententiam veram loco reddidit: ego tamen, vt oratio Taciti ne languidiuſcula ſit, paullò aliter, ita malim: *Interim fluuio Arſamiæ (is caſtra præfluit) pontem impoſuit, ſpecie ſibi illud iter expedientis*; (ita Muretus, & in aliis credo Lipſii editionibus ad marginem, in editione certè primâ ita coniecit idem) *ſed Parthi, quaſi d. v. iuſſerant. nam neque iis vſui fuit, & noſtri per diuerſum iere.* Lipſius: *Interim fl. Arſamiæ (etenim is caſtra præfluit)* et, *iuſſerant. neq; iis vſui fuit.*

11 *Nam & munimenta ingreſſi ſunt, antequam agmen Romanum decederet*] Muretus *excederet.* Aptius paullò.

pag.

pag. 162. c. XVII. *Ducum inter ſe breuis* 12
ſermo ſecutus eſt, hac conquerentium: irritum laborem, potuiſſe bellum fuga Parthorum finiri. Ille integra vtrique cuncta reſpondit, conuerterent aquilas & iuncti inuaderent Armeniam] Liquida ſententia in turbatis verbis. quæ varii variè interpolant, nimiâ hercule licentiâ. Scribe ſeruatis proximè veſtigiis: *Ducum inter ſe br. ſ. ſ. eſt. hoc conquerente, irritum laborem, potuiſſe b. f. P. finiri: ille integra vtriq; c. reſpondit: conuerterent aquilas* &c.

c. XVIII. *Quin & diſſimulandis rerum ex-* 13
ternarum curis Nero frumentum plebis vetuſtate corruptum, in Tiberim iecit] *Frumentum plebis* non alibi memini legiſſe. Itaq; aſſentior Mureto legenti, *frumentum publicum.*

pag. 163. c. XXI. *Et quomodo ad nutũ alicuius* 14
grates, ita promtius accuſatio decernitur. Decernaturque, & maneat prouincialibus potentiam ſuam tali modo oſtentandi] Neque fractus hic locus eſt, vt ſuſpicari videtur Lipſius, neq; legendus vt cenſuit idem, *decernatur ne maneat*; ſed vt idem poſtremo dubitanter ponit, ſimulata quadam conceſſione capiendus; quod vt eluceat magis, diſtinctio alia adhibeatur: *promtius accuſatio decernitur: decernaturque, & maneat prouincialibus p. ſ. t. m. oſtentandi: ſed laus falſa & precibus expreſſa perinde cohibeatur,* (ſic lego, non *cohibeantur*) *quàm malitia, quam crudelitas.* Decernantur ſanè & accuſatio & grates ad illorum nutum, & relinquamus illis potentiam ſuam prouincialib. tali modo oſtentare.

falſa tantum & precibus exambita laus cohibeatur. Phraſis *maneat oſtentandi*, Taciti eſt: & de ea nos ad Valer. Max. libr. IV. cap. III.

15 C. XXIII. *Templumq; fecunditati, & certamen ad exemplar Atticæ religionis decretum*] Lipſio aliorum commenta hic non placent, mihi nec ipſius. Legit, *ad exemplar Actiacæ regionis*. Non probare poſſum, quia & res & locutio vetant. Scilicet Tacitus Actiacam regionem diceret, cum vellet ludos Actiacos intelligi. Et quis ita loquatur, *ad exemplar regionis?* Deinde quæ ratio ſimilitudinis inter cauſſas huius, & illius ab Auguſto certaminis? Nullam ego certè video. Sed melius ad hunc locum afferre nihil ipſe poſſum. niſi quod Muretum notaſſe memini, *Antilanæ religionis*: quod quia non capio, nec firmo, nec refello.

16 C. XXIV. *Vnde gloria egregiis viris, & pericula gliſcebant*] Neſcio ſi delendum *Et*: capiendumque, pericula gliſcebant vir[illegible]gloriæ egregiis: non, gloriæ & pericula gliſcebant egregiis viris. Quid ſi? *Vnde gloria egregius viris*, (ſcilicet gliſcere vel prouenire ſolet) *pericula gliſcebant*: inde pericula tum proueniſſe.

17 pag. 164. C. XXV. *Conſuluit inter primores ciuitatis Nero, bellum anceps an pax in hoſte placeret*] Magis omnino placet Lipſii coniectura, *pax inhoneſta*. Aliàs Taciti phraſis & ſenſus ſuadebat mihi ſcribere *pax in hoſtem*.

18 C. XXVIII. *Ergo Vologeſes, neq; atrox in ſummam, & quibuſdam præfecturis inducias petit*] Vitii manifeſtus locus: nec quiſquam dum ſubuenit.

uenit. Lego, *neq; atrox in summam, & quibusdam præfractior.* Vera & clarissima emendatio-ne: id est, neque omnino atrox, & in parte præfractior,

pag. 165. c. XXXIV. *Primò in contumelias assumptus* (Mur. *inter.* Dubito) *deinde opimi cuiusq; criminatione eò usq; valuit, ut gratia, pecunia, vi nocendi etiam malis præmineret*] Lego, *eò usq; eualuit.* 19

pag. 166. c. XXXV. *Quin eum nobiles habere, quos ab epistolis & libellis & rationibus appellet, nomina summæ curæ & meditamenta*] Addere Lipsius velit, *meditamenta imperandi*: vel potius scribit, *meditamenti.* Nihil ego in vulgato mutem: cuius sensus, ab epistolis, & libellis, & rationibus esse nomina & meditamenta summæ curæ. Et firmat vulgatum hoc geminus locus libr. XVI. *Ipsum dehinc Silanum increpuit, iisdem quibus patruum eius Torquatum, tanquā disponeret iam imperii curas, præficeretq; rationibus & libellis & epistolis libertos.* Muretus scribebat, *appellaret, omnia s. c. & meditamenta.* Sed nec huic assentiar. 20

c. XXXVI. *Prouincias Orientis, maximè Aegyptum secretis imaginationibus agitans*] Mur. *machinationibus.* Neque hoc admittam, non magis quam quod paullo post pro *necessitudinibus*, mutat *necessitatibus.* 21

c. XXXVII. *Quas Tigellino paratas, ut exemplum referam*] Mur. *Quas à Tigellino.* Clariore sensu: sed quo eodem & vulgatum. 22

pag. 167. c. XL. *Nec dum posito metu redibat.* 23

Leuis rursum grassatus ignis, patulis magis vrbis locis] Lipſ. *reduit, at leuius rursum grassaturus ignis*. Muretus: *Necdum posito metu satis credebatur, cum rursum gr.* ſed maior hæc licentia, quam vt probanda. Malim transponere: *Necdum posito metu, redibat ignis, rursumq; grassatus, leuius, & patulis magis vrbis locis.*

24 *Quippe in regiones quatuordecim Roma diuiditur, quarum quatuor integræ manebant, tres solotenus deiectæ*] *Regiones deiectas* non aptè, credo, dixeris; veriusque hîc forte ſit *detectæ*, vt ſolo tenus denudatas dicat, cui ſequentia pulchrè reſpondent: *Septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant, lacera & semiusta.*

25 C. XLI. *Alii eousq; curâ progressi sunt, vt totidem annos mensesq; & dies inter vtraq; incendia numerent*] Potius *numerarent*.

26 C. XLIII. *Ceterum vrbis quæ domus supererãt, non vt post Gallica incendia, nulla distinctione, nec passim erectæ*] Rectè vitiũ loci vidit Lipſius; pugnat n. in ſe omnino ſententia: neſcio an & medicinam legit, *quæ domus perierant*. At conuenienter dixeris, eaſdem quæ perierant erectas fuiſſe, quod in prima editione Lipſius poſt priorem cõiecturam ſuam hiſce verbis innuit: Niſi tamen placet Neronem etiam ſtantes domus omnes diruiſſe & rurſus erexiſſe. Itaq; potius eſt, vt paucula verba, poſt verbum *supererant*, deſint: in hanc forte ſententiam: *Ceterũ vrbis quæ domus supererant dirutæ, aliæq; (* ſiue *nouæq;) non vt post Gallica* &c. Dirutas quæ ſuperfuiſſent, inde ſuſpicere: quia ſi manſêre, viden-

videntur impediisse dimensos illos vicorum ordines, obstitisse etiam alicubi latis viarum spatiis: vt non ad mensuram & composite vrbs tota, quod Tacitus innuit, ædificari potuerit.

C. XLIV. *Igitur primo correpti* (Christiani) 27
qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis conuicti sunt] Quomodo verò humani generis? Muretus *humani* vocem delet, hoc sensu: non reuera conuicti sunt crimine incendii, sed tamen damnati odio in illorum genus. Sed nescio an phrasis, *conuinci odio*, vel *in odio*, gignere non coacta possit hanc sententiam, *damnari ob odium*. Credam potius legendum, *odio Romani generis*. Ita non conuicti sunt incendii crimine sed odio in Romanos.

C. XLV. *Egestoq; auro, quod triumphis, quod* 28
votis, omnis populi Romani ætas prospere aut in metu sacrauerat] Lego, *prospera re aut in metu*.

pag. 170. C. L. *Aut cum ardente domo per no-* 29
ctem huc illuc cursaret incustoditus] Muretus mutabat: *Aut cum aureâ è domo per noct*. Nihil necesse. *Ardentem domum* cape, crebris luminibus & facibus illustrem, cum nocturnas scenas domi iniret.

C. LI. *Interim cunctantib. prolatantibusq; spem* 30
ac metum] Omninò legendũ *spe ac metu*: quomodo Lipsius non malè ait legi posse. Aut inserenda præpositio *inter*, quę perire eâ occasione potuit, quia *interim* præcesserat. Leg. *Interim cunctantib. prolatantibusq; spem inter ac metum*.

31 *Ergo Epicharis plura, & omnia scelera principis orditur. Neque senatui, * quid manere, sed prouisum quonam modo pœnas versa Reip. daret*] Rhenani coniectura insana & iampridem explosa. Modius xv. Nouantiq. notat Agricolam reponere, *Neque se nouum quid monere*. In desperato loco tamen & Lipsius, *Neque se nautam quidem manere*, quasi dicat mulier, attollens coniuratorum numerum splendoremque, etiam ipso cessante, prouisum viris melioribus, quomodo nefarius ille pœnas daret. Sententia, quam obulo ærato non permutem, & quæ pugnat cum sequentibus. Lego, *Neq; se natam quid mouere: sed prouisum* &c. Ea mente, Neq; se eam esse, quæ quid moueret, vtpote femina nata: ceterum iam prouisum aliis. Hæc mens & lectio auctoris; quæ nescio an omnibus sit arrisura.

32 C. LII. *Ne à libertate moueretur, vel dilecto imperatore alio, sui muneris Remp. faceret*] Lipsius, *ne aut libertatem moliretur*. Benè. Muretus, *Ne ad libertatem moueretur*. Æque benè. Et eadem vterq; sententiâ.

33 C. LIII. *Circensium ludorum die, qui Cereri celebratur*] Leg. *celebrantur*.

34 *Qui pugionem* &c. *detraxerat, gestabatque velut magni operis sacrum*] Omnino aliud verbum fuit quam *gestabat*. Lipsio placebat, *seruabatq;*, vel *iactabatque*. Mihi proximum ad litteras videatur, *custodibatque*.

35 pag. 171. C. LIV. *Quippe vltrò metum intentabat, multosq; astitisse libertos ac seruos, qui eadem*

dem viderint: nihil profuturum vnius silentium: at præmia penes vnum fore, qui indicio præuenisset] Dele copulam *que* à voce *multos*. Id enim ipsum est, per quod intentabat: vt & sequentia statim.

C. LV. *Fomenta vulneribus nulla iussu suo; sed quia cetera palàm vana obiecisset, adiungere crimen visum, separiter indicem & testem facere*] 36
Postrema hęc nullus capio, & videtur nec Muretus, qui stellulam hac regione appinxerat. Legendum fortè; *adiungere crimen, cuius se pariter indicem & testem faceret.* quod nec ipsum satis placet. Modius xv. Nouantiq. notat Rod. Agricolam legere: *adiungere crimen, vt sese pariter indicem & testem faceret.* Idem probat. Ego alteri non præfero.

pag. 172. C. LVII. *Cum ingenui & viri & equites Romani Senatoresq. intacti tormentis, carissima quæq. suorum pignorum proderent*] Muretus, *quisq.*, quod malim & ipse. Notat idipsum ex Romanâ editione Modius memorato libro. 37

C. LVIII. *Atq. vbi dicendam ad caussam introissent, lætatum erga coniuratos*] Corrupta: quæ nunc non sano. Conieci sed leuiter, *certatim arguere coniuratos.* Sententia & emendatio vera è sequentibus verbis elicienda. 38

Nondum ab indicibus nominatus; sed quò fidem inscitia pararet] Malim, *Et quò fidem* &c. 39

Idem Subrio Flauio assistenti, annuentiq. an inter ipsam cognitionē distringeret gladium &c.] Malim, *innuentique.* 40

41 c. LIX. *Quanto laudabilius periturum, dum amplectitur Remp. dum auxilia libertati inuocat, dum miles potius deesset, & plebes desereret, dum ipse maioribus, dum posteris, si vita praeriperetur, mortem approbaret?*] Legam, *auxilia libertati inuocat? Miles potius deesset, & pl. desereret, dum ip. m. d. p. s. v. p. mortem approbaret.*

42 *Nomen mulieris Arria Galla, priori marito Domitius Silius*] Lego, *mulieri.* quod quilibet videt. Et est forte mendum typographicum.

43 pag. 173. c. LX. *Et an dicta Natalis, suaq. responsa nosceret, percontari Senecam iubetur*] Videatur fortè melius *adnosceret*. Sed illud firmatur loco Annal. libr. XIII. *Itur ad Agrippinam vt nosceret obiecta dissolueretque, vel poenas lueret.* Vbi omnino malim veterem lectionem, quam Modius LXXXXIX. Nouantiq. annotat, *poena*.

44 *Illo propinqua vespera tribunus venit, & villam globus militum sepsit*] Siue *globis*.

45 c. LXII. *Conuersus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod vnum iam tamen & pulcherrimum habebat, imaginem vitae suae relinquere testatur*] Lege, *quod vnicum tamen & pulcherrimum habeat, imagin.* &c.

46 *Cuius si memores essent bonarum artium, famam tam constantis amicitiae laturos*] Lego, *cuius si memores essent, bonarum artium famam, tam constantis am. laturos*. Atq; ita ferè etiam Mur.

47 c. LXIII. *Complectitur vxorem: & paululum aduersus praesentem formidinem mollitus, rogat, oratq; temperaret dolori*] *Mollitus* hercle Senecae non conuenit. Mur. voluit, *molitus*. L. *& paullo ad-*

aduersus præsentē formidinē mollius rogat oratq; &c. Paullò nūc mollius, quia ante intentior in modum coërcentis, ad firmitudinē reuocarat.

C. LXIV. *Serui libertiq; obligāt brachia, premunt sanguinem, incertū an ignaræ*] Dubites an *ingratæ*. i. e. inuitæ. vt Donatus ad Terentii Eunuchū eam vocē interpretatur. Et voluit P. Faber idē hoc verbi reponere in Tacito super. libr. XII. vbi de pœna feminarum, quæ seruis coniungerentur: *Statuiturq; vt ignaro domino ad id prolapsa.* legit *ingrato*. i. e. inuito. Sed non probo. Hoc a. loco *ignaræ* nescio quî cōuenire possit. Inscienti n. obligare brachia, sistere sanguinem non potuerunt. Et sententiam alteram iuuat, quod infra sequitur: *Deinde oblata mitiore spe, blandimentis vita euictam.* 48

pag. 174. *Statium Annaum diu sibi amicitia fide & arte medicina probatum*] Mur. *& amicitia fide & arte medic.* 49

C. LXV. *Tradereturq; imperiū Senecæ, quasi insonti, claritudine virtutū ad summum fastigium delecto*] Hîc quidē copulam Tacitus non omisit. Leg. *quasi insonti, & clarit. v.* &c. 50

C. LXVII. *Mox eorū indicio Subrius Flauius tribunus peruertitur*] Melius credā, *eorumdē indicio.* 51

Neq; se armatum cum inermibus effeminatis tantum facinus consociaturum] Et hîc copula immittenda, *inermibus & effem.* 52

Nec minus nosci decebat militaris viri sensus & incomtos & validos] Lips. Rhenano assentitur, *sensus incomtos, sed validos.* Etiā ego: nisi potius credam, *sensus vt incomtos, ita validos.* 53

C. LXVIII. *Opperiebatur Nero vt Vestinus quoq;* 54

Consul in crimen traheretur, violentum & infensum ratus] Leue nimis hoc *ratus*. Non rebatur enim Nero, sed sciebat. legam *narus*, siue *gnarus*.

55 pag. 175. *Dum hic ignauiam principis penitus cognitam despicit, ille ferociam amici metuit*] Indubiè *animi* legendum ait Lipsius. Non dubito ego, sed nego. Principem & amicum Tacitus opponit.

56 c. LXIX. *Cuncta eo die munia Consulis impleuerat. Conuiuium celebrat; nihil metuens, an dissimulando metu*] Lego, *celebrabat*, vt & Muretus.

57 c. LXXI. *At Cadicia vxor Sceuini, & Cesenius Maximus Italia prohibentur, reos fuisse se, tantum pœnâ experti*] Vt rectè capias, sic distingue: *reos fuisse se tantum; pœnâ experti*: id est, Pœnâ illâ nihil aliud experti, nisi reos se fuisse. Sententia similis superiori nescio quo libro.

58 pag. 176. c. LXXII. *Vt super triumphales foro imagines, apud palatium effigies eorum quoque sisteret*] Verba aliter, & rectius collocat Muretus: *apud palatium quoque effigies eorum sisteret.*


59 c. LXXIII. *Donec consensu patrum deterritus est, ne* (versus) *publicis malis abuti ad occasionem priuati odii videretur, neu compositam & oblitteratam mansuetudinem Principis nouam ad sæuitiam traheret*] Insanè bene Lipsius: *neu composita & oblitterata mansuetudine Principis nouam ad sæuitiam traheret*. Nec ego muto, nisi quod eodem sensu legi etiam poterat: *neu composita & oblitterata*

terata mansuetudinem Principis nouam ad sæuitiam traherent.

C. LXXIV. *Inscripsitq;* IOVI VINDICI. *In præsens haut animaduersum, post arma Iulii Vindicis ad auspicium & præsagium futuræ vltionis trahebatur*] Credo voculam immittendam: *Quod in præsens* &c. 60

Quod quidem ille decernebat, tanquam mortale fastigium egresso, & venerationem hominum merito: quod ad omina olim sui exitus verteretur] Adsentior Mureto legenti, *venerationem numinum merito*. Sed & postea particulam insero necessariam: *sed quod ad omina olim* &c. 61

IN ANNALIVM
LIB. XVI.



Ag. 177. c. I. *Ceterum vt coniectura demonstrat, Didonem Fenissam Tyro profugam, condita Carthagine illas opes abdidisse*] Lego, *demonstret*. Refert enim obliquè Tacitus orationem Cesellii. 1

C. II. *Nec missis visoribus, per quos nosceret, an vera assererentur, auget vltrò rumorem*] Legendum omnino *afferrentur*. vt & Muret. 2

Mititq; qui velut partam prædam adueherent] Lego, *paratam*. 3

Nec aliud per illos dies populus credulitate prudentis diuersâ famâ tulerat] Rectè cape, *aliud* 4

credulitate. id est, aliud quàm credulitatem.

5 C.IV. *Sed Nero nihil ambitu nec potestate Senatus opus esse dictitans, se aequum aduersus aemulos, & religione iudicum meritum laudem assecuturum*] Lipsio perplacet: *Seq; vnum aduers.* vel *seq; imò.* neutrũ mihi. Legam, *seq; aduersus aemulos religione iudicũ* &c. abiectâ copulâ *Et.*

6 pag. 178. *Crederes laetari, & fortasse laetabantur, per iniuriam publici flagitii*] *Iniuriam* aegrè hic tolero. nec n. capio. Mutem *incuriam* quod satiè valde accommodatum sententiae.

7 C. V. *Sed qui remotis è municipiis, seueramque adhuc, & antiqui moris retinentes Italiam, quiq; per longas prouincias lasciuiae inexperti, officio legationum aut priuata vtilitate aduenerant*] Legendum omnino cum Rod. Agricolâ, *seueraque adhuc & a. m. retinente Italia.* & deinceps cum Mureto, *longinquas.*

8 C. VII. *Mortem Poppaea vt palam tristem, ita recordantibus laetam ob impudicitiam eius saeuitiamq;, nouâ insuper inuidiâ Nero compleuit*] Eleganter Muretus *recondentibus.* quod illi *palam* opponitur.

9 *Prohibendo C. Cassium officio exsequiarum, quod primum indicium mali, neq; in longum dilatum est*] Scripsit Tacitus: *Noua insuper inuidiâ Nero compleuit, prohibendo C. Cassium officio exsequiarum: quod primum indicium mali. Neq; in longum dilatus est, sed Silanus additur; nullo crimine, nisi quod Cassius opibus vetustis, & grauitate morum, Silanus claritudine generis, & modestâ iuuentâ praecellebant.*

c.IX. *Deportatusq; in insulã Sardiniã Cassius, & Senatus ius exspectabatur. Silanus tanquam Naxum deueheretur, Hostiã amotus;* &c.] Hisce nec Lips. nec Mur. medentur, & ne tentãt quidẽ. Palmerius tentat ille quidẽ, sed irrito conatu: *& Senatus iussus exspectabatur.* Ego nihil hiscere etiã possum: nisi si delenda planè sunt. Etenim oratio sine his integra: & ipsa nullo modo aptari ad sententiã loci posse videntur. Nisi traiicias in hunc modũ: *Tunc Senatusconsulto Cassio & Silano exsilia decernuntur, de Lepida Cæsar statueret. Et Senatus ocius exsequebatur: deportatusq; in insulam Sardiniam Cassius. Silanus tanquam Naxum* &c. 10

pag. 179. *Suadentiq; venas abrũpere; animum quidẽ morti destinatũ ait, sed nõ permittere pcussori gloriã ministerii*] Mur. *se vero permittere* &c. Malè, & contra Taciti & viri fortis mentem. 11

c.X. *Cruentamq; ceruicẽ eius amplexa, seruabat sanguinẽ, & vestes respersas, vidua implexa luctu continuo, nec vllis alimẽtis, nisi q̃ mortẽ arcerent*] *Implexa* vocẽ certum est mihi delendam, natã ex superioris lineæ iterata voce *amplexa*. 12

c.XI. *Seruauitq; ordine fortuna: ac senior prius, tum cui prima ætas, exstinguuntur*] Legendum, *tũ cui proxima ætas.* aut potius, *ac seniores prius, tum cui prima ætas.* vt capias, prius patrem & auiam, deinde filiam exspirasse. 13

pag. 180. c.XIV. *Adeò vt testamentũ Anteii nemo obsignaret, nisi Tigellinus auctor exstitisset. Monitus prius Anteius, ne supremas tabulas moraretur*] Fallor an hęc ita nectenda? *exstitisset;* 14

monito prius Anteio, ne suprema tabulis moraretur. id est, ne mortem differret curatione testamenti.

15 c.xv. *Ostorius multâ militari famâ & ciuicam coronam apud Britanniam meritus, ingenti corporis robore armorumq; scientiâ, metum Neroni fecerat; ne inuaderet, pauidum semper, & repertâ nuper coniuratione magis exterritum*] Scribo *pauido*, & *exterrito*, refeÍoque ad præcedens *Neroni.* Pro *inuaderet* dubito etiam nunc an *euaderet* potius sit. Conueniat id cum sequentibus, *Igitur Centurio vbi effugia villæ clausit.* Sed credam potius voculam desiderari, & scribendum, *ne imperium inuaderet pauido semper* &c. & *exterrito.* Vt libro xv. in simili caussâ: *Ceterum timore occulto, ne L. Silanus eximiâ nobilitate, disciplinaq; C. Cassii, apud quem educatus erat, ad omnem claritudinem sublatus imperium inuaderet.*

16 c.xvi. *Neq; aliam defensionem ab iis quibus ista noscentur, exegerim, quam ne oderint tam segniter pereuntes*] Segniter verò illi peribant, de quibus iam diu memorauit? promtè imo plerique omnes & fortissimè. Et malè hæc culpatio conuenit isti proximæ laudationi: *Detur hoc illustrium virorum posteritati, vt quomodo* &c. Deniq; quid ita horum segnem interitum ad sui excusationem valere velit Tacitus? Falsi iure suspecta mihi lectio. quam mutem: *ne oderint tam segniter pergentem.* Quod firment illa quæ subduntur: *Ira illa numinum in res Romanas fuit, quam non vt in cladibus exercituum,*

aut

aut captiuitate vrbium, semel editam transire licet.

pag. 181. c. XVII. *Additur codicillis, tamquam de iniquitate exitii querens ita scripsisset: se quidē mori nullis supplicii caussis, Rufum autem* &c.] Inuoluta sententia quam distinctione & leui emendatione hac explico: *Additur, codicillis, tamquam de iniquitate exitii querens, ita scripsisse: se quidem* &c. 17

c. XIX. *Nec tulit vltrà timoris aut spei moras, neque tamen praeceps vitam expulit*] Credo Tacitum scripsisse *per praeceps.* 18

c. XX. *At Numicium Thermum preturâ functum Tigellini simultatibus dedidit*] Potius *dedit. Dandi* enim verbum, non *dedendi*, hoc significatu celebre. 19

Quia libertus Thermi quaedam de Tigellino criminosè detulerat, quae cruciatibus tormentorum ipse, patronus eius nece immerita lueret] Tacitus scripsit *luêre*, id est, luerunt. 20

c. XXI. *Olim vtrisque infensus, & accedentibus caussis in Thraseam: quod Senatu egressus est, cum de Agrippina referretur*] Lege, *esset.* quomodo & Muretus. 21

Ludis Cesticis a Troiano Antenore institutis] Hærent viri docti in his ludis: nec quî aut explicent, aut mutent sciunt. Nihil etiam ego video: nisi si quid sani aut firmi in illorum coniectura, qui in Suetonii Tiberio & Caligulâ *Asticos ludos*, & libr. XV. in Tacito *Asticam religionem* reponunt; coniiciam, etiam hîc *Ludis Asticis* scribendū. Et sanè quia dicit a Troiano 22

Antenore Patauii institutos, videntur sic vocari, quasi *Vrbici*, potuisse. Lipsius ipse *Asticis* in prima edit. coniiciebat, in posteriorib. spreuit.

43 pag. 182. *Et cum Deûm honores Poppaea decernuntur, sponte absens, funeri non interfuit*] Legendum certò *decernerentur*. Sed quid honorum decretio cum funere iungitur? Eodemne tempore exsequiæ ducebantur, & Senatus de honoribus decernendis habebatur? Non potest. Censeam pro *funeri*, scribendum, *senatui*: aut certè diducam sententiam immissâ particulâ: *Et cum Deûm honores Poppaea decernerentur, sponte absens*, (Mirum ni pro *sponte*, *senatu* reponendum) *etiam funeri non interfuit*.

44 c. XXII. *Eiusdem animi est*, (Versus) *Poppaeam diuam non credere, cuius in acta Diui Augusti & Diui Iulii non iurare*. Etiam hic Spondaicus.

45 c. XXIII. *Vt ad externa rumoribus intestinum scelus obscuraretur*] Aut subintelligenda, aut addenda vox: *Vt ad externa versis rumorib.* Vel, *vt versis ad externa rumoribus*.

46 c. XXVI. *Non solum Cossutianum aut Eprium ad scelus promptos, superesse qui forsan manus ictusq; per immanitatem Augusti: etiam bonos metu sequi*] Animam agenti loco aquam sic affundit Lipsius: *ictusq; parent. Immanitatem Augusti etiam bonos metu sequi*. Assentirer, nisi vox *Augusti* vetaret. quæ hîc à Tacito scripta numquam. Augustum scilicet illi, quorum ista oratio est, Neronem dicerent. Lege mecum potius: *superesse qui forsitan manus ictusq;*

per

per immanitatem ausuri sint. (vel *ausint*) *etiam bonos metu sequi.* Quæ vera sine dubio Taciti scriptura, & quę mutata, ignoratione vsus Corneliani in verbo *Audere.* de quo etiã nos supra.

pag. 183. c. XXVII. *Etenim quid mirum è longinquis prouinciis aduenire, cum plerique adepti cõsulatum & sacerdotia, horrorum potius an œnitati inseruirent*] Plenè sententię consultum priori Lipsii diuinatione, *haud veniri*: quamquã malim, *haud adueniri.* nec audiẽda altera quæ longissimè à Taciti mente recedit: *quid mirum nec longinquis prouinciis subueniri,* vel *prouinciis aduerti.* 27

c. XXVIII. *Maiore vi Marcellus, summam Reip. agi clamitabat*] Melius: *summam Remp.* quod & Muretus censuit. 28

c. XXIX. *Enimuero Montanum proba iuuenta, neque famosi carminis, quia protulerit ingenium, extorrem agi*] Sentio voculam abesse sententiæ, quam reddo, *sed quia prot.* 29

c. XXX. *Atque interim Ostorius Sabinus Sorani accusator ingreditur orditurque de amicitia Rubellii Plauti*] Duo hîc verba eiusdẽ significatus iunctim posita, quod Tacito insolens, *Ingreditur oriturque.* Vtrumq; n. nihil sonat aliud quàm *incipit.* Nec à glossâ posterius opiner. Forte scribendum: *Sabinus Sorani accusationẽ ingreditur, orditurque.* Phrasi de quâ ad librum v. supra. 30

pag. 184. c XXXIII. *Exutusque omnib. fortunis & in exiliũ actus, æquitate deûm erga bona malaque documẽto*] Manifestã deprauationẽ adnotat, nõ tollit Lipsius. Non tollo quidem etiam ego: sed 31

fomento hoc tego: *æquitatis dedit erga bona malaque documentum. Aequitatem* capio æquanimitatem: eodem enim animo tolerasse eum vult bona & mala.


32 c. xxxv. *Porrectis vtriusque brachii venis*] Nescio an verius *profectis*, vel *perfectis*, an *per-ictis*. Aptum tamen & illud.

33 *Obuersis in Demetrium*] Indubiè *obuersus* scribendum. Sed quid hoc auxilii?



IN HISTORIARVM

LIB. I.



1 NITIO huius libri Muretus adscripserat: Ex vetere libro constat principio huius libri quædam desiderari. Quod an verum sit, mihi non liquet: ceterum non esse, videtur.

2 pag. 185. c. 1. *Sed ambitionem scriptoris facile aduerseris: obtrectatio et liuor pronis auribus accipiuntur*] Mutauerat Muretus, *aduerteris*. malè. Quod si quid erat mutandum, potius *auerteris*, vel *auerseris*. Sed non erat Taciti illa propria phrasis: hoc ipso libro infra: *vidistis com-*

commilitones notabili tempestate, etiam Deos infaustam adoptationem aduersantes. Ceterum notabis *ambitionem* rariore significatu hic pro assentatione vel adulatione poni. Id paret cum ex proximè sequentibus: *Quippe adulationi fœdum crimen seruitutis, malignitati falsa species libertatis inest.* tum ex præcedentibus: *mox libidine assentandi adulationem & ambitionem deprehendens.* Sed & *ambitiosum* item pro assentatorio. infra: *Multi occultasse, pro vt quis amicus, vel cliens, hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant.* Sallust. in Iugurth. de Marcello, *tanta temperantia inter ambitionem sæuitiamq́; moderatum.*

Sed incorruptam fidem professis nec amore quisquam & sine odio dicendus est] Mur. *nec cum amore.* vt placet. Sed quorsum etiam *professo* mutat? Nimis putidum istud. 3

Principatum Diui Neruæ, & imperium Traiani, vberiorem securioremq́; materiam senectuti sepofui] Dubito de sinceritate vocis *vberiorem.* nullo enim modo vberior scribendi seges in temporibus Neruæ & Traiani, quam in his quæ nunc aggreditur. Quod si vera scriptura: non ex vero sententia. Nec sanè ratio est, cur vberiorem materiam senectuti reseruet: nisi quietem fortè & otium respicit, cui tamen vitæ senilis vni commodo, multa è diuerso opponas incommoda. Denique si illa materies vberior tandem: cur huius operis opulentiam tam ambitiosè statim incipit recensere? Vel lege *liberiorẽ*, quod probant sequẽtia: *Rara tem-* 4

porum felicitate, vbi sentire quæ velis, & quæ sentias dicere licet.

5 C. II. *Perdomita Britannia, & statim missa cohorte in Sarmatarum ac Sueuorum gentes*] Rectè omninò Lipsius pridem: *& statim omissa. coorta Sarmatarum* &c. Quia tamen in vulgata lectione etiam præpositio *in*, quæ à Lipsio neglecta: valde libeat cum Mureto addere, *coorta in nos Sarmatarum ac Sueuorum gentes*.

6 Pag 186. *Odio & terrore corrupti in dominos serui, in patronos liberti*] Explicat hanc vt veram lectionem Lipsius, dissimulans interim alteram quam margini textus adiecit. Quæ mihi quidem, quisquis eius auctor, multo verior & concinnior. Muretus, tanquam suam in libro suo adnotauerat. Istam nempè dico: *agerent, ferrent cuncta odio & terrore. Corrupti in do.* &c.

7 C. IV. *Pars populi integra & magnis domibus annexa, clientes libertiq. damnatorum & exsulum in spem erecti*] Non renuam cum Lipsio legere, *& magnis domibus annexi clientes libertique damnatorum*. Sed cur Tacitus clientes libertosq; damnatorum & exsulum solum hic nominat? Cur hi potissimum in spem erecti, non etiam eorum, qui damnati & exsules non essent, aut cur clientes libertiq; eorum potius, quam damnati & exsules ipsi? An verò etiã credemus, clientium & libertorũ, qui magnis domibus annexi, patronos omnes eo tempore, damnatos & exsules? nullasq; magnas domos integras & incolumes fuisse? Nihil absurdius: aliudq;

aliudque huic loco vitium maius, defecto sine dubio: sed quē integrare nos facilè possumus, inserta voce vnica, quæ quomodo perierit, vix adspecta ea, omnes videbūt. Scribo, *pars populi integra, & magnis domibus annexi clientes liberti, quiq; damnatorum & exsulum in spem erecti. Qui damnatorum & exsulum*, id est, quotquot damnati & exsules. Idem valeat, *quod damnatorum & exsulum*: quomodo hîc etiam additâ copulâ scribi potest, & fortè magis debet. Hæc enim forma Tacito crebrior, & passim legis, *quod equitum*, *quod peditum*, similiaq; alia. Ceterum ex hac emendatione, *pars populi* non iam cum Lipsio accipienda sincera; & lasciuia temporum non corrupta, sed incolumis. & cui status suus saluus. Integros enim opponit auctor exsulibus & damnatis.

c. v. *Sed quamuis capite defectionis ablato, manebat plerisq; militum conscientia; nec deerant sermones, senium atq; auaritiam Galbæ increpantium*] Conscientiam quidem necesse est mansisse omnibus, non tamen plerisque. Sed nimirum emendandum *constantia*. solito illo & vulgatissimo errore mutuę inter has voces permutationis; quam notauimus etiā in Agricolâ. 8

Laudata olim & militari fama celebrata seueritas eius, augebat coaspernantes veterem disciplinam] *Coaspernantes* verbum non hic valdè idoneum. Malim cum Mureto simplex *aspernantes*. nisi tamen noua cōpositione formasse Tacitum credemus *consperпantes*, quod meis quidem auribus admodum blanditur. 9

10 Statim: *Atque ita* XIV. *annis à Nerone aſſuefactos, vt haud minus vitia principum amarent, quam olim virtutes verebantur*] Credo verius, *reuerebantur*.

11 C. VI. *Inualidum ſenem: T. Vinius & Cornelius Laco, alter deterrimus mortalium, alter ignauiſſimus, odio flagitiorum onerabant, contemtu inertiæ deſtruebant*] Rectè alterum verbum, quod à Rhenano expulſum, à Lipſio reſtitutum. ſed caue cenſeas, nihil intereſſe *oneratum* an *onerabant* recipiatur. Illud obſcuram & alienam facit ſententiam: hoc liquidam & veram: quæ eſt, vt ſtructuram verborum Taciti in ſua membra reſoluam: *Inualidum ſenem T. Vinius mortalium deterrimus odio flagitiorum ſuorum onerabat; Cornelius Laco ignauiſſimus contemptu ſuæ inertiæ deſtruebat*.

12 *Ille vt Nymphidii ſocius, hic vt dux Neronis, inauditi atq; indefenſi tanquam innocentes perierant.*] Imò, *tanquam nocentes*. & hoc Tacitus voluit dicere: cuius mentem non aſſequare alia correctione, *quanquam innocentes*: etſi eius quoq; ſententia fortè vera. Emendatio prior etiam Mureto in mentem venerat.

13 pag. 187. *Ingens nouis rebus materia, vt non in vnum aliquem prono fauore, ita audenti parata*] Legendum *parato*. nempe fauore.

14 C. VII. *Iam afferebant venalia cuncta, præpotentes liberti*] Verbum *afferebant* quid ſibi vult? nullus hic ei locus. Non ſententiam modò corrumpit, ſed & ſermonem inficit ſolœciſmo. Quin mentem non video: nec eiicere dum

dum audeo, quanquam abſque eo locus ab o-
mnibus ſanè partibus integer videtur: maximè
ſi ita diſtinguas: *Iam venalia cuncta, præpotentes
liberti, ſeruorum manus ſubitis auidæ, & tan-
quam apud ſenem feſtinantes: eademq; noua
aulæ mala, æquè grauia, non æquè excuſanda.*

c. VIII. *Hiſpaniæ præerat Cluuius Rufus*, 15
vir facundus, & pacis artibus, belli inexpertus]
Defectus indicem ſtellulam Muretus appoſue-
rat iis vocibus, *pacis artibus*, tanquam adden-
da iis aliqua vox ſenſui explendo: quod tamen
ſi Tacitum cogites, non neceſſe: apud quem
non exprimuntur multa talia, ſed ſubaudien-
da omittuntur. Idem an hic fuerit, in dubio ni-
hilominus etiam apud me.

Fonteium Capitonem occiſum, etiam qui que- 16
ri non poterant, tamen indignabantur] Non de
aliis loquitur auctor, quam de Germanico ex-
ercitu. Itaq; reſcribe, *etiamſi queri non poterant.*
Coniecerat ſic & Muretus.

c. IX. *Inferioris Germaniæ legiones diutius* 17
*ſine conſulari fuêre; donec miſſu Galbæ, Vitellius
aderat, cenſoris Vitellii, ac ter Conſulis filius. Id
ſatis videbatur*] In poſtremis his non negem
aptè ſcribi poſſe, *ſatis*: verè, pernego. Etiam
vulgati ſententiam vereor vt explicatione ſua
Lipſius ſatis expreſſerit. Hoc quidem epipho-
nemate illo Tacitus vult, Satis videbatur, ſi pro
conſulari, filius toties conſulis mitteretur. Diu
ſine conſulari legiones fuerant: tandem Galba
mittit, nec ipſum quidem conſularẽ, ſed filium
ſaltem conſularis. Id enim ſatis videbatur.

quando aspectu patris ter consulis videri filius poterat velut consularis.

18 c.x. *In secretum Asiæ repositus tam propè ab exsule fuit, quam postea à principe*] Scripsit Tacitus *sepositus*; more suo & aliorum omnium in hac re.

19 *Sed apud subiectos, apud proximos, apud collegas variis illecebris potens: & cui expeditius fuerat tradere imperium, quam obtinere*] Sententia horum satis expedita, vereor vt ipsa ex Taciti sententia. Ille Muciani potentiam extollere vult; hæc deprimunt. Valdè scilicet potens Mucianus, si ei facilius alii imperium tradere; quam sibi obtinere. Incongruâ etiam alia & maiora insunt, quæ nõ excutio. Satis, corrupta demonstrasse. Iam medicina in promptu, & facillima, immissione particulæ negantis in hunc modum: *& cui haud expeditius fuerat, tradere imperium, quam obtinere*. Hæc n. mens: nõ difficilius, siue tam facilè Muciano fuerat sibi obtinere imperium; quam Vespasiano tradere. nisi paullò aliâ sententiâ transponi verba magis placeat: *& cui expeditius fuerat obtinere imperium, quam tradere*. Lib. IV. Hist. ita loquitur: *erga remp. superbum, erga principem contumeliosum, quod in manu sua fuisse imperium, donatumq; Vespasiano iactabat*.

20 pag. 188. c. XI. *Ita visum expedire prouinciam, aditu difficilem* &c. *domi retinere*] Nondũ postrema hęc; & propter ea, superiora parũ intelligo.

21 c. XII. *Paucis iudicium aut reip. amor: multi occulta spe, prout quis amicus, vel cliens hunc vel*

illum

illum ambitiosis rumorib. destinabant] Verè Lips. *ambitiosis*. Nec ego sanè probē alteram lectionem *stulta spe* præ vulgata. Ceterū nondum hîc omnia tamen sana. Vocula deest, quæ diuersa orationis mēbra distinguat. Neq; n. iidem occulta spe pariter & ambitiosis rumoribus hunc vel illum destinabant. Sed alii occulta spe, alii ambitiosis rumoribus: quos inuicem sibi Tacitus opponit. Leg. *multi occulta spe; quidam, prout quis am. v. cl. hunc vel illum* &c.

Et iam in T. Vinii odium diuerterant, qui indies quanto potentior, eodem actu inuisior erat.] 21 Nunc verò ad eum locum peruenimus, vnde si nos feliciter expediemus, multò feliciores multis aliis erimus, sed bonæ spei plenus ingredior. Abest rectè meo quoque iudicio, à priscis editionibus vox *diuerterant*, & benè tollit Lipsius. nec benè tamen cum superioribus reliqua committit. de quo mox videbimus: nunc de verbis prius. *Eodem actu* verba hic nihili. Itaq; Mur. prorsus delebat: nec sanè quod relinquitur, abhorret à Taciti dictione: *qui indies quanto potentior inuisior erat.* Nempè solennis illi hæc omissio alterius eiusmodi particularū. Lips. agit aliquantò mitius, & *actu* sublato scribit, *eâdem inuisior erat*. scil. *eâdē*, simul esse ex Plauto notum. At non video, cur *eodem* retineri nequeat. An offendit illa particularum relatio, *quantò, eodem?* Non debet: neque enim offenderit, *quantò, eo*. Nisi si quis similia non probat, *eò quanto; quo tantò; tantò, quò*: vsurpata quidem bonis auctoribus multis, sed nostro in primis Tacito. Nec tamen

ita hæc disputò, vt veram lectionem censeam, *eodem inuisior*, quin multò diuersior etiam à Lipsio & Mureto, ne *actu* quidem eiiciendum credam, sed addita vltrò litterula *auctu* mutandum, scribendumq; ita planè, *quantò indies potentior. Eodem auctu inuisior erat*. vbi sic quoque *tantò* subintelligitur, vt in Mureti lectione adsignificabam. *Eodem* vero *auctu* non otiosè addita. sed ad vim sententiæ pleniorem. Eodē nimirum auctu crescebat odium hominis & potentia: siue quantum indies potentia, tantum pariter augebat odium. De verbis iam res facta: nunc membrum hoc orationis ipsum, vt sensu cum præcedentibus, sequentibusque cohæreat, laborandum, si potest, nam vt possit, valdè ego metuo. Neque enim Lipsii commissio isthæc satisfacit: *hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant, etiam in T. Vinii odium.* multò minus explicatio: Multi successorem destinabant ex sua spe, quidam ex odio Vinii. Vt omittam non idem prorsus esse, *in odium* & *ex odio*; quod hoc genus successorem destinandi ex alicuius odio? Mihi quî fieri id possit, penitus obscurum. Quia ne Vinium oderant, ergò nescio, quem alium hic vel ille ambitiosè & assentatoriè successioni destinabant? Non cohæret. Simile Taciti de Pisone, quod idem affert; *Iuuenis recenti fauore & infensus T. Vinio: seu quia erat, seu quia irati ita volebant*: in eo quid huic loco simile? Nihil præter verba aliquot video: sententia quidem ita aliena, vt non possit magis. Iam cohærentia quæ horum

de odio Viniano, & istorum quę subiunguntur de Galbæ facilitate & cupiditatibus amicorum: *Quippe hiantes in magna fortuna* &c Particula *quippe* velut rationem & explicationem promittit eorum, quæ præcessere. At quæ in istis non ratio dicam vel declaratio proximorum, sed cognatio saltem & similitudo cum iisdem? Sentētia vtrorumq; tantum à se inuicem, quātum cælum à terra distat. Sed inconuenientiam quid vlterius ostendam? dicam potius quid toto de loco sentiam. Quando satis iam patet, particulam illam de *odio in Vinium*, neque cum præcedentibus, neque cum sequentibus vlla ratione cohærere: censeo alienam hic esse, & aliunde insertam. Ideò magis, quia illa sublata, optimè consentiunt reliqua. Vide mihi quam pulcrè ista cohæreant: ***Quidam, prout quis amicus vel cliens, hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant: quippe hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates ipsa Galbæ facilitas intendebat; cum apud infirmum & credulum minore metu, & maiore præmio peccaretur.*** Caussam nempè explicat, & occasionem ambitiosorum illorum, qui tam licenter ferebantur, rumorum. Nec puto quisquam iam est, qui non relegandа hinc, quæ è medio sustulimus, mihi assentiatur. Ostendam porrò, quonam in veterem sedem reducenda. Exciderunt sine dubio illinc, vbi caussæ enumerantur sermonum de adoptione, qui tam crebri totâ ciuitate per id tempus. Inter eas *odium* quoq; *Vinii*, quod velutì fomes huius famigerationis. Ibi igitur op-

portunè inseram, & totum locum è nostra emendatione sic rescribam: *Maturauit ea res consilium Galba, iampridem de adoptione secum, & cum proximis agitantis. Non sanè crebrior tota ciuitate sermo per illos menses fuerat, primum licentia ac libidine talia loquendi; dein fessa iam ætate Galba, etiam in T. Vinii odium* (vel; *etiam T. Vinii odio*, quod malim;) *qui indies quantò potentior, eodem actu inuisior erat. Paucis iudicium, aut reip. amor: multi occulta spe; quidam prout quis amicus, vel cliens, hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant; quippe hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates ipsa Galbæ facilitas intendebat* &c.

23 C. XIII. *Hi discordes & rebus minoribus sibi quisque tendentes, circa consilium eligendi successoris in duas factiones scindebantur*] Legam, *& in rebus minoribus.* Præpositionem eam sanè & Muretus addi voluerat, ceterum vocem *minoribus* stigmate notauerat, quod illi solet esse vel delendi prorsus, vel certè mutandi signum. At illa & minimè corrupta hic & maximè necessaria. Triumuiri illi discordes semper, & aliàs minoribus in rebus, dum sibi quisque tendit; in tres diuisi partes: in hoc adoptionis consilio tam graui velut coibant, & in duas saltem abibant.

24 *Neque erat Galba ignota Othonis ac T. Vinii amicitia ex rumoribus nihil silentio transmittentium: quia Vinio vidua filia, cælebs Otho, gener ac socer destinabantur*] Concinno im-

immissa vocula, vt mihi videtur, necessaria: *quibus* (rumoribus) *quia Vinio vidua filia, calebs Otho, gener ac socer destinabantur.*

Eoque iam Poppæam Sabinam principale scortum &c.] Particula *iam* quid hic faciat nescio. Nisi deinceps videro, delebo. 25

Otho comiter administratâ prouinciâ primus in partes trangressus, nec segnis, & donec bellum fuit inter præsentes splendidissimus, spem adoptionis statim conceptam, acrius in dies rapiebat.] Particulâ vnâ traductâ suam & orationi & sententiæ concinnitatem reddideris, *primus in partes trangressus, nec segnis, donec bellum fuit, & inter præsentes splendidissimus.* 26

c. XIV. *Pisonem Licinianum accersiri iubet, seu propria dilectione, siue vt quidam tradiderunt, Lacone instante*] Muretus *accersi*, & *crediderunt*, maluerat. De vtroque non grauatè assentiar, quanquã necessariò mutandum esse neutrum scio. 27

pag. 189. *Ea pari morum eius, quo suspectior sollicitis, adoptanti placebat*] Scio qui contendebat legendum, *qua*, præter omnem rationem. Omissa hic quoq; particula, quæ alteri *quo* responderet: *quò suspectior sollicitis, eò magis adoptanti placebat.* 28

c. XV. *Si te priuatus, lege curiata apud Pontifices, vt moris est, adoptarem*] Nescio an à glossographo illa, *vt moris est.* 29

Irrumpet adulatio, blanditiæ pessimũ veri affectus venenũ, sua cuiq; vtilitas] Verba postrema hæc prorsus ἀπροσδιόνυσα. Nec sensum euoluas; 30

verum quidem: nec ſtructuram videas aliqua ratione concinnã. Non multò plus in ſequentibus particula *etiam* ad ſenſum facit. Quæ omnia ſi auferantur hinc, reliqua inter ſe pulcherrimè cõgruant. & nos locum vidimus quo iſta rurſus, audaci quidem, ſed neceſſaria traiectione, reponenda. Aſſcribam prolixiuſculè totum locum, vt ordo connexioque verborum, & ſententiarum perſpici & diiudicari melius poſſit: *Fidem, libertatem, amicitiam, præcipua humani animi bona, tu quidem eâdem conſtantiâ retinebis: ſed alii per obſequium imminuent. Irrumpet adulatiô, blanditiæ, peſſimum veri adfectus venenum. Ego ac tu ſimpliciſſimè inter nos hodie loquimur, ceteri libentius cum fortunâ noſtrâ, quam nobiſcum. Nam ſuadere principi, quod oporteat, multi laboris: aſſentatio erga principem quemcunque ſine affectu peragitur. Sua cuique vtilitas. Et iam ſi immenſum imperii corpus ſtare ac librari ſine rectore poſſet, dignus erã, a quo Reſp. inciperet. Nunc eò neceſſitatis iam pridem ventum eſt, vt nec mea ſenectus conferre plus pop. Rom. poſſit, quam bonum ſucceſſorem: nec tua plus iuuenta, quam bonum principem.* Hic illa, *Sua cuiq. vtilitas*, ſententiolæ loco poſt aliquantam reſpirationem à Galba interiectæ: quibus tranſitum & aditum ad ſequentia ſibi faceret, præcipua totius orationis, vt quibus vtilitatem & propè neceſſitatem huius adoptionis & electionis vult demonſtrare.

31 C. XVI. *Vtiliſſimus idem* (id malo, quam *quidem*) *ac breuiſſimus bonarum malarumq. rerum* dile-

dilectus, cogitare quid aut nolueris sub alio principe, aut volueris. Talem Traianum suum Plinius facit Panegyrico: cuius quodammodo similem locum inde huc transcribam: *Meministi quæ optare nobiscum, quæ sis queri solitus. Nam priuato iudicio principem geris, meliorem imò te præstas, quam tibi alium precabare.*

pag. 190. c. XIX. *Et patrum fauor aderat, multi voluntate effusius, qui noluerant medie, ac plurimi obuio obsequio priuatas spes agitantes, sine publica cura*] Verum sensum non assequeris, nisi aliter interpungas. nempe hoc nunc videtur auctor dicere: Multi qui medie noluerant, voluntate effusius, scilicet fauebant. At ille longè aliud vult, quod distinctio hæc tibi aperiet: *Et patrum fauor aderat: multi voluntate, effusius; qui noluerant, mediè; ac plurimi obuio obsequio.* Tres fauoris velut gradus facit. *Multi voluntate*, id est, Taciti phrasi, quibus adoptio volentibus erat, *effusè* (nihil enim hic amplius valet *effusius*) fauebant; quibus priuatæ tantum spes, nulla publica cura: *plurimi obuio obsequio*, id est effusissimè: inter hos *mediè* illi, qui noluerant, seu quibus adoptio aduersa. Vide ergo, quantum in distinctionibus momentum. 32

Agitatum secretò, num & Piso proficisceretur, maiore prætextu: illi auctoritatem Senatus, hic dignationem Cæsaris laturus] Suspectum Lipsio verbum *maiore*; mihi magis quod sequitur, *prætextu*. & mutem sanè hoc, scribamque fidenter, *maiore profectu*. id est, in maiorē profectum, siue, vt eò plus legatione proficeretur. 33

34 c. XX. *Exactioni* XXX *equites Romani præpositi*] Notat Lipsius, in Suetonio *quinquaginta* esse; nec liquere sibi ait de veritate. Nō equidem & mihi: sed credam Suetonianum verius; atq; inde Tacitum emendandum: præsertim, quando & ipse ampliorem aliquem numerum innuit sequentibus verbis: *Nouum officii genus, & ambitu ac numero onerosum.* et illa descriptione: *Vbiq; hasta, & sector, & inquieta vrbs auctionib.* quæ omnia de quinquaginta magis suadent, quam triginta, numero non adeo enormi. Simul & coniecturam eiusdem Lipsii iuuāt, imò planè firmant, in loco superiore: *Bis & vicies mille sestertium donationibus Nero effuderat.* Vbi, *millies* reponit, ratione valdè consentanea. Si enim exactorum numerus tam grandis: necesse est & summam vastiorem Neronianæ profusionis.

35 Paulò ante: *At illis vix decumæ super portiones erant: iisdem erga aliena sumptibus, quibus sua prodegerant.* delet Mur. *erga*: nō magnâ sententiæ, sed structuræ maximâ iniuriâ. *Sumptus erga aliena*, non insolita Tacito dictio.

36 *Nec remedium in cæteros fuit, sed metus initiū: tanquam per artem & formidinem singuli pellerentur, omnibus suspectis*] Excidit vocula *id*, quā repono: *Nec id remedium* &c.

37 c. XXI. *Proin agendum audendumq; dum Galba auctoritas fluxa, Pisonis nondū coaluisset*] Seu potius *conualuisset*. Ad Velleium de hoc verbo pag. 82. editionis Patauinæ nostræ.

Isthuc leguntur sequentia, ad VelleI verba:

Et

Et coalescentis conditiones pacis] Parum forsan intereſt, ſed è conſuetudine Vellel verius, *coolescentis*. Sic infra: *Sepultis, vt prædiximus, bellis ciuilibus, coolescentibusq; reip. membris, quæ tam longa annorum series lacerauerat.* Venit hic in mentem Iuſtiniani loci, quem operæ pretium erit à doctiſſimi hominis correctione vindicare. Lib. XVIII. *Hoc igitur modo Tyrii Alexandri auſpiciis conditi, parcimonia & labore quærendi citò conualuere.* minimè ad Iuſtini genium: cui *conualescere* ſignificat creſcere, ſeu potentia augeſcere. Lib. III. vbi de Charillo Polybitæ filio & Lycurgo: *Medio igitur tempore, dum infans conualescit, tutelamq; eius administrat, non habentibus Spartanis leges instituit.* Et ibidem paullò poſt : *His igitur moribus ita breui ciuitas conualuit.* Idemque verbi reſtituo lib. XXXVI. vbi de Ægyptiis & eorum ſacris: *Semperq; exinde hic mos apud Iudæos fuit, vt eosdem reges & sacerdotes haberent: quorum iustitia religione permixta, incredibile quantum coaluere.* Indubiè ſuperiorum locorum exemplo, *conualuere* ſcribendum. Quæ ipſe auctor poſt " emendauit aſſcriptis in margine & loco Taciti " ex Hiſtor. lib. IV. vbi legitur, *Si alpes præsidiis firmentur, coalita libertate, dispecturas Gallias, quem virium suarum terminum velint*: & his ſequentibus verbis, Retineo nunc vbiq; in Iuſtino *coalescendi* verbum.

pag. 191. c. XXII. *E quibus Ptolemæus Othoni in Hiſpania comes, cum superfuturum eum Neroni* 38

promisisset. Malim *in Hispaniam comes.* Nec aliter Tacitus scripsit:

39 Statim: *Postquam ex euentu fides, coniectura iam & rumore, senium Galbæ, & iuuentam Othonis computantium, persuaserat fore, vt in imperium adsciseeretur*] Credam melius, *Coniecturâ iam ex rumore senium Galbæ*, & certè magis ad sententiæ lucem. Ptolemæus imperium Othoni promiserat, coniecturâ saltem, quam ex rumore populari fecerat: at ille accipiebat tanquam diuinandi arte prædictum.

40 *Cupidine ingenii humani libentius obscura credi*] Legendum planè, *credendi.*

41 c. XXIII. *Sed sceleris cogitatio incertum an repens, studia militum iampridem, spe successionis, aut paratu facinoris, affectauerat.*] Scripserim potius *recens.* nisi tamen *repens* pro eodem, quod memini Annalium etiam libris à me vel Mureto, rectè an secus, interpolatum.

42 pag. 192. c. XXVII. *Totidem fermè milites in itinere aggregantur; alii conscientia, plerique miraculo: pars clamore & gladiis, pars silentio, animos ex euentu sumpturi*] Inepta hic vox *gladiis.* scribe, *gaudiis.* Ita sibi rectè membra orationis respondent. Vt *clamori silentium* opponit; sic *gaudiis* habitum animi adhuc quieti, & ex euentu se commoturi. *Gaudiis* & Muretus notauerat.

43 c. XXX. *Habitune & incessu, an illo muliebri ornatu mereretur imperium?*] Lege *meretur.*

44 *Sed proindè à nobis donatiuum ob fidem, quam*

ab

ab aliis pro facinore accipietis] An melius *perinde?*

c. xxxi. *Dilapsis speculatoribus, cetera cohors non aspernata concionantem, vt turbidis rebus euenit, timore magis, & nonnullo adhuc consilio, parat signa, quod postea creditum est, insidiis & simulatione*] Verè infirmus locus: sed quem exulcerat magis sua coniectura Lipsius, quam sanat. Quid enim sententiæ, si ita rescribatur? *vt turbidis rebus euenit, irâ magis, & nonnulli ad hoc consilio: pars ingens, quod postea cred.* &c. Nos defectum, sed leuem; etiam luxationem aliquantò maiorem deprehendimus. Vnica enim vox bis omissa, duæ transpositæ. quibus in suum locum reductis, & illâ suis locis insertâ, præsto verè emendatum fore totum locum. Ita scribo: *Dilapsis speculatoribus, cetera cohors non aspernata concionantem, parat signa: siue, vt turbidis rebus euenit, timore magis, & nonnullo adhuc consilio; siue, quod postea creditum est, insidiis & simulatione.* Alternat suo more caussas Tacitus; nec quidquam amplius in probationem dici debet. 45

Missus & Celsus Marius ad electos Illyrici exercitus &c.] In his quoque ordinem turbatum suspicor: & comprehensionem, quæ hãc sequitur, huic præponendam. Lege, *Praeceptum Amulio Sereno & Domitio Sabino Primipilaribus, vt Germanicos milites è libertatis atrio accerserent. Missus & Celsus Marius ad electos Illyrici exercitus, Vipsanii in porticu tendentes. Legioni classicæ diffidebat.* Videatur hoc parum 46

alicui referre: at qui diligentius attendet, rectius ita disponi perspiciet.

47 *Legioni classicæ diffidebat infestæ ob cædem commilitonum, quos primo statim introitu trucidauerat Galba*] Quis *diffidebat?* facilè subintelligi potest; tamen credo verius scribi, *diffidebatur*.

48 pag.193. *Tribunorum Subrium & Cerium milites adorti minis, Longinum manib. coercent, exarmantq.: quia non ordine militiæ, sed è Galbæ amicis, fidus principi suo, & desciscentibus suspectior erat.*] Quid illa? *quia non ordine militiæ*, nihil intelligo: intelligam, & mecū spero omnes, si traductâ particulâ vnâ legamus: *coercent exarmantque, non ordine militiæ, sed quia è Galbæ amicis* &c. *Non ordine militiæ* accipio: non quod gradu aliquo dignationis militaris inferior ceteris esset Longinus, atque eò milites irreuerentius, & contumeliosius hunc, quam reliquos tractarent.

49 c.XXXII. *Vniuersa iam plebs palatium implebat, mixtis seruitiis, & dissono clamore: cædem Othonis & coniuratorum exsilium poscentium*] Nescio an potius *exitium*. In tanto quidem animorum motu, seu potius adulandi tanto studio vix putes aut pœnam fuisse moderatos, aut genus illius Galbæ præscripsisse. Nec fidentius mutauerim *impleral*.

50 c. XXXIII. *Repugnantem huic sententiæ Vinium Laco minaciter inuasit, stimulante Icelo, priuati odii pertinacia in publicum exitium*] Immittenda copula, *& priuati odii pertinacia*.

C. XXXIV.

c.xxxiv. *Multi arbitrabantur compositum auctumq; rumorē, mixtis iam Othonianis, qui ad euocandum Galbam læta falsò vulgauerint*] Muret. *mixtis etiam Othonianis*. possis quoq; *clam*, Sed mutatione non valdè opus. 51

c.xxxv. *Tum vero non populus tantum & imperita plebs in plausus & immodica studia, sed equitum pleriq; ac Senatorum, posito metu incauti, refractis palatii foribus, ruere intus, ac se Galbæ ostentare, præreptam sibi vltionem querentes*] *Intus* pro *intro* nusquam alibi mihi lectum. nec credo hîc Tacito scriptum. Etiam illa nō habēt, vnde pendeant, *in plausus & immodica studia*. Itaq; prope abest, vt traductionem hic quoque vsurpandam putem: *non populus tantum & imperita plebs, sed equitum pleriq; ac Senatorum posito metu incauti, refractis palatii foribus. ruere in plausus & immodica studia, ac se Galbæ intus ostentare, præreptam* &c. Quanquam sanè malim *ruere intrò* scribi, ac vulgatum ordinem retineri, nisi quod eo retento, necesse erit, vnā tamen dictionem transponere in illis superioribus: *non populus tantum, & imperita plebs in plausus & studia immodica*, vt iungas non *immodica studia*, sed *plebs immodica in plausus & studia*. Atq; ita credo prorsus huic loco veram medicinam factam. 52

c.xxxvi. *Nec Tribunis aut centurionibus adeundi locus: gregarius miles caueri insuper præpositos iubebat*] Muret. *cauere*. Vtrumque idoneâ sententiâ: nescio vtrum veriore. 53

pag.194. *Sed vt quemque affluentium militum aspexerant, prehensare manibus, complecti* 54

armis, collocare iuxta, praire sacramētum] Quid est *armis complecti?* In Agricolâ *complexus armorum* legitur, optimo ibi sensu, & qui huc quadrare non possit: *Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum, & in aperto pugnam non tolerabant.* Emendandum hîc, *complecti artus*, quomodo & Muretus voluit. Nam *armos* Tacitum intelligere voce *armis* nunquam opiner.

55 C. XXXVII. *Septem à Neronis fine menses sunt, & iam plus rapuit Icelus, quam quod Polycleti, & Vatinii, & Elii (& alii) parauerunt*] Indubiè delendum istud *& alii*, quomodo Lipsio visum. Sed nec incertius expungendum etiam *quod*. meo quidem iudicio.

56 C. XXXVIII. *Aperire deinde armamentarium iussit*] Muret. *aperiri*. melius.

57 pag. 195. C. XL. *Non tumultus, non quies, quale magni metus & magna ira silentium est*] Inserere olim volebam, *sed quale?* errasse nunc video, cum sententiam acutius inspicio.

58 C. XLI. *Plures, obtulisse vltro percussoribus iugulum, agerent ac ferirent, si ita è rep. videretur*] Muretus legi voluit, *Hoc agerent ac ferirent.* Non accedo. Exprimere Tacitus, vel innuere nobis saltem voluit hanc eius hortantis, vel iubentis vocem, *Age, feri:* aut, *agite, ferite.* Tamen vt Muretus voluit, omnino scribendum videtur è Suetonio, qui sic hoc narrat: *plures autem tradiderunt, obtulisse vltro iugulum; & vt hoc agerent, ac ferirent, quando ita videretur, hortatum.* cap. XX. in Galb.

c. xlii. *Quod seu finxit formidine, seu conscientia coniurationis confessus est*] Videtur *conscientiam* legendum. 59

c. xliii. *Insignem illa die virum Sempronium Densum ætas nostra vidit. Centurio is Prætoriæ cohortis ad Galbæ custodiam à Pisone additus, stricto pugione, occurrens armatis & scelus exprobrans*] Eruditè Lipsius hanc lectionem impugnat: ac valdè probabiliter ex vestigiis Farnesiani Codicis rescribit: *Centurionis Prætorii à Galba custodiæ Pisonis additus*. Nec ego vel hāc Taciti sententiam fuisse, vel ipsam sententiam ex historiæ fide & veritate esse dubito: quidquid Dio & Plutarchus contradicant, ad quorum narrationem, quod Lipsius idem flectere Taciti verba conatur, frustra est. Manifesta inter eos pugna & dissensio, quam nulla interpretatione rectè concilies. Nec refert quod innumeris alibi locis hi & Historicorū quotquot sunt plurimis, non idem dicunt. ego Tacito hic potius credam. Sed in scripturæ emendatione, etsi de sensu, non & de verbis Lipsio penitus assentior. Nec enim putem *Centurionem Prætorii* rectè dici pro *Centurione cohortis Prætoriæ*; nec valdè eleganter, *custodiæ alicuius addi*. Quocirca non audiam hic Farnesianum librū, sed vulgatam lectionem traductione saltem præpositionum *ad* & *a*, quæ permutatæ errorem peperêre, concinnem: *Centurio is Prætoriæ cohortis à Galba ad custodiam Pisoni additus*. Vbi & *Pisoni* scripsi poscente sic elegantia sermonis. Plaut. in Aulul. *quem quondā Ioui Iuno* 60

nū

custodem addidit; & Captiuis & Milite sæpius in eundem modum. Sic & verbum *apponere* Suetonio vsurpatum Tiberio cap. XXII. & sæpè alibi: *hunc Tribunus militum custos appositus occidit.* Ceterum non omittam etiam Mureti lectionem, etsi falsam & ineptam: quã tamen è libro videtur hausisse, non ex ingenio prompsisse: *Insignem illa die virum & senem trucidare pergunt, disiecta plebe Sempronium Densum, quem ætas nostra vidit. Centurio is Prætoria cohorti ac Galbæ custodia à Pisone additus.* Puto è libro, quia multò quam vulgata auctior. sed quæ inserta, inscitè è proxima præcedente pagina, vbi ardor militum in Galbæ cædem narratur, repetita sunt. Sic enim ibi: *Igitur milites Romani quasi Vologesen aut Pacorum auito Arsacidarum solio depulsuri, ac non Imperatorem suum inermem, & senem trucidare pergerent; disiecta plebe, proculcato Senatu, truces armis, rapidis equis forum irrumpunt.* Vnde vides integram lineam pessimo errore huc translatam.

61 *Cum aduenere, iussu Othonis nominatim in cædem eius ardentes*] Elegantius alii libri; *missu Othonis.* Loquitur ita Cicero quoq; ad Attic. lib. VIII. ep. IX. *Balbus minor ad me venit, occultâ viâ currens ad Lentulum Cos. missu Cæsaris, cum litteris & mandatis.* Et rectè Gulielmius in perioche Curculionis Plautinæ emendauit: *Curculio missu Phædromi it in Cariam.* Tacit: lib. v. Hist. *Missu Neronis Vespasianus fortunâ famaq; & egregiis* &c:

Seu

Seu tum primum leuata omni sollicitudine mens vagare gaudio cœperat] Non nego aptum verbum *vagare* ad habitum mentis explicandum, quæ gaudio diffusa velut natet. Nego hoc loco aptius, quam *vacare* cui præferri alterum à Lipsio minimè debuerat. Concinnitas sermonis hoc requirit, in quo quasi metaphora quædam ab homine occupato. Mens Othonis antea sollicitudine occupata, nunc demum leuata, gaudio vacare cœperat. 62

Pisonis vt inimici & æmuli cæde lætari, ius fasque credebat] Non hæc particula τελεία στιγμῇ diuellenda erat à superioribus, quibus sententia cohæret. Tu sic distingue, vt rectè capias: *seu recordatio maiestatis in Galba; amicitia in T. Vinio, quamuis immitem animum imagine tristi confuderat; Pisonis vt inimici, & æmuli* &c. Pendet enim verbum *credebat* à particula *seu*, non minus quam alterum *confuderat*. 63

C. XLIV. *Certatim ostentantibus cruentas manus, qui occiderant, qui interfuerant, quine verè, quine falso; vt pulchrum & memorabile facinus iactabant*] Rom. Codex, *qui verè qui falsò*. Hic particula vna deest: illic superest. Vix enim concinna oratio, ni scribas, *qui verè, quine falso, vt pulchrum* &c. Si *quine* vbique retines, vide, ne alia vocula desit, atq; ita distinctione sententia iuuari debeat: *certatim ostentantibus cruentas manus, qui occiderant, qui interfuerant: quine verè, quine falsò;* 64

ceterum ut pulchrum & memorabile facinus iactabant.

65 *Omnesq; conquiri & interfici iussit, non honore Galba, sed tradito principibus more, munimentum ad praesens, in posterum ultionem*] Tentasse olim Lipsius fatetur, postremâ editione ad verum peruenisse putat. Rescribit, *tradita princip. m.* &c. *ultione.* atq; exponit, quia more tradita haec in posterum vltio principibus, ad praesens munimentum. Quam etsi ipse lucidam & veram sententiam dicit, ego tamen valdè adhuc obscuram & incertã video. Quid enim est *vltio in posterum?* & cur mutat elegantissimam locutionem *tradito more?* Cuius exempla vbique multa. Curtius lib. III. *Ita tradito more, vt victorem victi regis tabernaculo exciperent.* Idem lib. V. *Sed rex deserere milites insepultos erubescebat, ita tradito more, vt vix vllum militiae tam solenne esset munus, quàm humandi suos.* Ipse Tacitus hoc ipso libro paullò superius: *Neque illis iudicium aut veritas; sed tradito more, quemcunque principem adulandi, licentiâ acclamationum & studiis inanibus.* At inquit, aliàs peccat Tacitus contra Grammaticorum regulas, neque eum à ferulis illorum quisquam liberabit. Iubeo securum esse, Taciti nomine. Ego liberabo. Nec in verbis quidem ipsis quidquam muto, saltem in eorum ordine. Traiectio enim manifesta est, quam & Muretus viderat. Eaque corrigi dupliciter potest, vel *sed tradito principibus more, vltionem ad praesens, in posterum munimentum:* vel *munimentum*

mentum in posterum, ad præsens vltionē. quo posteriore modo Muretus restituerat, & mihi sanè restitui magis placeat. Sensus nunc liquidissimus est, itemque verissimus, Non honore Galbæ, sed quia principibus mos est, vt scelus in præsens vlciscendo, in posterum ab iis sese muniant; vt sic nec interprete nec assertore vlterius egeat: sed constructio adhuc dubia. Facilè firmauero Taciti exemplis, cuius hæc propria locutio. In Germania: *Vicos locant, non in nostrum morem connexis & cohærentibus ædificiis: suam quisq; domum spatio circumdat, siue aduersus casus ignis remedium, siue inscitiâ ædificandi.* Ibidemque: *solent & subterraneos specus aperire, eosq; multo insuper fimo onerant; suffugium hyemi, & receptaculum frugibus.* Lib. III. Hist. *Qui suas centurias turmasq; tradere donum victori, & sibi in posterum gratiam; certabant:* Lib. IV. Hist. *Simul omnium coniuges paruosq; liberos consistere à tergo iubet: hortamenta victoriæ; vel pulsis pudorem.* Ibid. *Donatiuū, duplex stipendium; augeri equitum numerum, promissa sanè à Vitellio; postulabant; non vt assequerentur, sed caussam seditioni.* Si hoc nolis, possis etiam aliter: *ad præsens vltioni*: æquè bonâ vel meliore, Tacito certè non minus vsitatâ phrasi. Ita XIII. Annal. qui locus huic, de quo agimus, etiam sententiâ est adsimilis: *Factum & Senatusconsultum vltioni iuxta & securitati.* sic lib. XV. *Multa Romanis secunda, quædam Parthis euenisse: documento aduersus superbiam.* Et aliis passim innumeris locis.

66 pag. 196. c. XLVI. *Namq. gregarius miles, vt tributum annuum pendebat*] Nihil post hæc addendum, aut sequentibus præponendum, etiamsi libri veteres inserũt *quarta*. quæ vox fallor, aut à nasuto aliquo huc translata ex illo inferius loco, *qui remissam sibi a Galbâ quartam partem tributorum*. Tota certè orationis concinnitas vitiatur, si alterutram Lipsii coniecturarum admittas.

67 c. XLVII. *Omisisset tot offensas, an distulisset, breuitate imperii in incerto fuit*] Muretus *tot* delet, & ego facilè patior.

68 *Otho cruento adhuc foro per strages iacentium in Capitolium, atq; inde in palatium vectus, concedi corpora sepulturæ, cremariq; permisit*] Mur. *stragem*, quod nec improbo, nec probo. Ceterum inconcinnè dictũ videtur, *permisit cõcedi*.

69 pag. 197. c. XLVIII. *Sed Vinius, proconsulatu, Galliã Narbonensem seuerè integreq; rexit*] Mur. *Proconsul Galliæ*. Non mutem vulgatum, etsi neq; hoc spreuerim.

70 c. XLIX. *Hunc exitum habuit Ser. Galba tribus & septuaginta annis. quinq; principes prosperã fortuna emensus, & alieno imperio felicior quam suo*] Sic interpunge: *Hunc exitum habuit Ser. Galba, tribus & septuag. annis, quinq;* &c.

71 *Amicorum libertorumq;, vbi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens: si mali forent, vsq; ad culpam ignarus*] Sensus vult, *ignauus*. & sequentia confirmant: *Sed claritas natalium, & metus temporum obtentui, vt quod segnitia erat, sapientia vocaretur*. vbi miror iudicium Lipsii, quod

quod veterem scripturam, *obtinuit*, veriorem censet, quàm Rhenani emendationem, *obtentui*. At Rhenanus, si quid vnquam benè in Tacito, hoc certè optimè correxit, & phrasin hanc Taciti quisquis agnoscit, aliter nõ iudicabit.

C. LI. *Expeditionem & aciem, præmia quam stipendia malebat: diuq; infructuosam, & asperã militiam tolerauerat* &c.] Non mutat Lips. pro suâ modestiâ, sed omninò mutandum, vt coniecit, *Expeditionem, quam otium*. In sequentib. deletâ copulâ, velut nouam comprehensionẽ Muretus orditur. malebat: *Diu infructuosam & asperam*. Id non adeò necesse. Quid si *præmia* capias *prædam*? quod exemplis tamen firmandum. 72

Sed ante bellum, centurias tantũ suas turmasq; nouerant. Exercitus finibus prouinciarum discernebantur] Sic distingue, *turmasq; nouerant exercitus: finibus prouinciarum discernebantur*. 73

C. LII. *In quibus sordem & auaritiam Fontei Capitonis*] Vsitatius erat *sordes*. Nec sanè vnquam aliter, vel alii, vel ipse Tacitus alibi. 74

Et Vitellius apud seueros humilis. Ita comitatem bonitatemq; faventes vocabãt; quod sine modo, sine iudicio donaret sua, largiretur aliena] Mur. particulam *ita* delet: ego etiam inserendã aliam puto, huic respondentem. Certò enim sic Tacitus scripsit: *Et Vitellius vt apud seueros humilis. ita comitatem, bonitatemq;* &c. 75

Et profusa cupidine, insigni temeritate, legati legionum] Muret. *Sed.* nõ valdè necessè: tamen fortè rectius. 76

77 C. LIII. *Cæcina decora iuuenta, corpore ingens, animi immodicus, cito sermone, erecto incessu, studia militum allexerat*] Credam potius, *scito sermone.* hic enim potius valeat studiis alliciendis, quàm *citus.*

78 pag. 199. C. LV. *Ipso Kalend. Ianu. die dirumpunt imagines Galbæ*] An verius *diruunt?* an *deripiunt?* vt supra: *Vexillarius comitantis Galbam cohortis, dereptam Galbæ imaginem solo afflixit.* Et de hac ipsa re paullò post: *Quartam, & duodecimam legiones proiectis Galbæ imaginibus in Senatus & pop. Rom. verba iurasse.* Libro itē III. *Vitellii imagines direptæ, & missi qui Antonio nuntiarent.*

79 C. LVII. *Nec principes modo coloniarum aut castrorum quibus præsentia ex affluenti, & partæ victoriæ magnæ spes*] Muret. mutat, *quibus ex præsenti affluentia.* Inscitè. *Ex affluenti,* id est, affluenter, abundè. vt sæpè aliàs dicit, *ex facili,* facilè. eâdem formâ.

80 Sed paullò antè: *Ardorem exercituum Agrippinenses, Treueri, Lingones æquabant, auxilia, equos, arma, pecunias offerentes, vt quisq; corpore; opibus, ingenio validus.* Alienam & ineptam hic vocem Lipsius censuit, *ingenio.* etiam ego, nec tamen scio, an aptè satis mutem, *Vt quisq; corpore ingens, opibus validus.* Sic de Cæcina supra: *corpore ingens, animi immodicus.*

81 C. LXII. *Aquila leui meatu prout agmen incederet, veluti dux viæ prauolauit*] Lego, *Leni.* Sueton. *sensim antecessit,* inquit.

82 pag. 200. C. LXIII. *Non ob prædam, aut spo-*

liandi

liandi cupidinem, sed furore, & rabie] Rectum, quis negat? *cupidinem*. Tacitus tamen scripsit *cupidine*.

*Isq; terror Gallias inuasit, vt venienti mox agmini vniuersæ ciuitates, cum magistratibus & precibus occurrerent, stratis per vias pueris feminisque, quæque alia placamenta hostilis iræ * non quidem in bello, sed pro pace tendebantur*] Locum obscurum & corruptũ clamat Lipsius, neque se vel illustrare, vel emendare. Est vero vtrumque, sed non vsque adeo. Et facilè restituere, *quæque alia placamenta hostilis iræ non quidem in bello, sed pro pace tentabãtur*. iunctim enim hæc legenda & intelligenda. Muret. *tendebant* notauerat, quod non satisfacit. 83

pag. 201. c. LXIV. *Sed legio Italica, & ala Taurina abducta. Cohortes* XVIII *Lugduni, solitis ibi hibernis, relinqui placuit*] Rectissimè Lipsius *cohortem decimam octauam*, & eiicienda omnino vox *Lugduni*, vt eidem visum. De cetero & pro *ibi*, *sibi* scribendum ex meâ vel Mureti opinione. 84

c. LXV. Paulò post: *Cuncta illic externa & hostilia, se Coloniam Romanam* &c.] Pugnam hanc Taciti & secum, & cum aliis non aliter putem conciliandam, quam Rhetoricâ istâ ratione: ex inuidia hæc à Lugdunensibus contra Viennenses vltra verum aucta, ad odium in militum animis conciliandum. 85

c. LXVI. *Quoties pecunia materia deesset, & stupris & adulteriis exorabatur*] Melius demseris prius *&*. Muret. habet similiter. 86

87 pag. 202. c. LXIX. *Effusis lacrymis & meliora constantius postulando, impunitatem, salutemque ciuitati impetrauere*] Fortè melius, *molliora*. Sic item Lipſ. ad marginem. ſed tamen lib. IV. Hiſtor. idem legitur: *Sic accenſum, ſed meliora referre iuſſum dimittit.*

88 pag. 203. c. LXXI. *Nec Otho quaſi ignoſceret, ſed ne hoſtis metum reconciliationis adhiberet, ſtatim intra* (Muret. *inter*) *intimos amicos habuit*] Loco huic non melius Lipſii emendatione factum, ſed peius. legit: *Sed nec hoſtis metu, reconciliationi ſe adhiberet*. explicat: Duo cum Celſum ſibi iungeret, Otho cauit: ne aut ignoſcere videretur, vt in vero magnoque crimine: aut ne hoſtis, id eſt, Vitellii metu adſciſcere ſibi virum nobilem & fortem. Quæ ſententia ſanè nec elici ex ipſis verbis ita emendatis poteſt. & eſt ipſa prorſus à Taciti & Othonis mente aliena. Otho nolebat videri ignoſcere? cur igitur inter amicos intimos aſſumebat? aſſumebat herclè verò eâ cauſsâ vt quanquam ex animo non ignoſceret, fidem ei tamen faceret, ſe ignoſcere. Deinde quid ad rem, Vitellii metu an contemptu ſibi Celſum adiungere videretur? Omninò fatendum eſt, nihil ſani in hac correctione. Non multò plus aut tantundem in Mureti, qui notauerat: *ſed ne hoſtis metum reconciliationis amitteret*. quod ego quidem, quo ſenſu dicatur, non aſſequor. Noſtra coniectura vnius litterulæ detractione clariſſimam & veriſſimam ſententiã exhibebit. Lego, *Nec Otho quaſi ignoſceret, ſed ne hoſtis metum reconcilia-*

tioni

tioni adhiberet. Recepit, inquit, Celſum ſtatim inter intimos amicos, non tanquam, vel quòd (id enim hîc valet *quaſi*) reuera ei ignoſceret, ſed ne in hac reconciliatione metum ei faceret, imò vt metum omnem demeret hoſtilis adhuc in ipſum animi, id enim eſt *hoſtis* in generandi caſu.

Manſitq; Celſo velut fataliter, etiam pro Othone fides integra et infelix] Vana ſententiola, & contra hiſtoriæ fidem, quamdiu *infelix* legetur. Contra vero legendum, *felix.* hoc enim vult dicere: velut fataliter, etiam pro Othone, fidem ei integram fuiſſe, nec infeliciter ceſſiſſe apud Vitellium, prorſus vt pro Galbâ conſtans in fide, & id apud Othonem impunè fuerat. Probat euentus, qui lib. II. ſic Tacito breuiter narratus: *Mario Celſo conſulatus ſeruatur. Sed creditum famâ, obiectumq; mox in ſenatu Cæcilio Simplici, quod eũ honorẽ pecuniâ mercari, nec ſine exitio Celſi voluiſſet. Reſtitit Vitellius, deditq; poſtea conſulatũ Simplici innoxiũ & inemptum.* 89

C. LXXII. *Sophonius Tigellinus obſcuris parentibus, fœdâ pueritiâ, impudicâ ſenectâ, præfecturã vigilum, & prætorii, & alia præmia virtutum, quia velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde auaritiam, & virilia ſcelera exercuit*] Multa ſalebroſa in hoc loco. Principio non affirmabo, transponenda inuicem illa, *impudicâ pueritiâ, fœdâ ſenectâ.* Aptum enim vtcunque, etiam vt vulgatur. Quæ mox ſequuntur, *quia velocius erat vitiis adeptus*, ſtructuram faciunt aſperiuſculã: itaq; cum Mureto 90

legerim & distinxerim, *& alia premia virtutum, quà velocius erat, vitiis adeptus. Quà velocius erat*, id est, quâ ratione tum citius & facilius ad honores perueniebatur; quæ via tum compendiaria ad dignitatem erat. In postremis magis turbatum: nec componit Muretus, *&* copulam delendo, magis imò turbat. quasi tandem auaritia virile scelus, aut planè scelus sit. Traiecta vox *auaritiam*: quod si non sensus argueret, structura saltem innueret. Quia enim ait, *crudelitatem mox*, necesse est aliud quid præcessisse, quod primò. Igitur traduco binas has voces, mutatis inuicem sedibus, & totum illud sic lego: *Et alia premia virtutum, quà velocius erat, vitiis adeptus, auaritiam, mox deinde crudelitatem, & virilia scelera exercuit.* Turbellæ caussa illud *mox deinde* fuit fortassè, quod disiungi debere, & diuersis membris accommodari aliquis plus nimio acutus censuit. At iungitur ita sæpè, nec exemplis opus. Si quis tamen malit diuelli, non incommodè sic etiam scripserit: *auaritiam, crudelitatem mox, deinde & virilia scelera exercuit.*

91 *Aduersus publicum odium, priuatam gratiam preparat: vnde nulla innocentię cura, sed vita impunitatis*] Lipsius, *vice impunitatis*. pro, *caussâ impunitatis.* quis vnquam ita locutus? Nec Palmerii mutatio satis apta. nisi alii aptiorem excogitent, ego cum Mureto statuerim prorsus eiiciendam vtramque vocem, *vnde* & *vita*. Quæ cum absunt, nihil in sententiæ, nihil in sermonis integritate desideres.

C. LXIII. *Trangressa in Africam ad instigandum in arma Clodium Macrum famem populi Romani haud obscurè molita*] Malim, *populo Romano.* 92

C. LXIV. *Crebra interim & muliebribus blandimentis infecta ab Othone ad Vitellium epistolæ, offerebant pecuniam, & gratiam, & quemcunq; quietis locum prodiga vita legisset*] Tacitus scripsit: *epistolæ. Offerebat pecuniam* &c. 93

Ita promissis simul, ac minis tentabantur: vt bello impares, in pace nihil amissuri] Lege: *ita pace.* 94

pag. 204. C. LXXVI. *Nam in* (accipio *is*, quod margini à Lipsio appositum) *malis temporibus partem se reip. fecerat*] Malim, *malis temporum,* quod magis ad sententiam, si rectè perscrutaris: etsi parum in ea mutat. 95

C. LXXVII. *Otho vt in multa pace, munia imperii obibat: quædam ex dignitate Reip. pleraque contra decus ex præsenti vsu properando*] Perspicua sententia, nescio an proba, mihi quidem multò verius legi videatur, *pleraq; contra decus, ex præsenti vsu probanda.* quam sententiam post enumerationem gestorum Othonis statim repetit: *Inter quæ necessitate præsentium rerum & instantibus curis excusata* &c. 96

C. LXXVIII. *Ipse in suspenso tenuit, vetandi metu, vel cognoscendi pudore*] Lipsius rectè, *agnoscendi.* Muretus voluisse videtur, *ipse in suspenso tenuit, vitandi metum, vel agnoscendi pudorem.* Quanquam in libro eius notatum reperi, *vitandi metum, & agnoscendi.* 97

98 c. LXXIX. *Eo audentius Rhoxolani, Sarmatica gens, priore hyeme casis duabus cohortibus, magna spe ad Mœsiam irruperant*] Delendum *ad*. Nam sine præpositione Tacitus hæc talia semper effert. supra: *Vastare Gallias, & Cotianis Alpibus Italiam irrumpere*. Nec lubet exempla vbique obuia hîc congerere. Delendum igitur *ad*. Imò non delendum, transferendum saltem ad proximè seq. *Nouem millia equitum, ex ferocia & successu, prædæ magis quam pugnæ intenta*. Hic inquam reponendum, *Ad nouem millia equitum*, & reliqua pariter transponenda: *ferocia ex successu, & prædæ magis, quam pugnæ intenta* &c. Muret. notauerat *& ferocia, & successu*. non tam benè.

99 *Apud Rom. omnia prœlio apta. Sarmatæ dispersi aut cupidine prædæ graues onere sarcinarũ, & lubrico itinerum ademptâ equorũ pernicitate, velut vincti cadebantur*] Leg. traductim, *Sarmatæ dispersi cupidine prædæ, aut graues onere sarcinarũ*.

100 pag. 205. *Donec pauci, qui prœlio superfuerant, paludib. abderẽtur. Ibi sæuitiâ, hic miseriâ vulnerũ absumpti*] Præstare se ait Lips. legendũ, *Ibi sæuitia hiemis, hic miseriâ vulnerũ*. At ego præstabo eâ geminatione nihil opus. Quorsum n. *hic*, non duobus locis, sed vno, scil. *in paludibus*, ait, *absumptos esse*. Verior igitur Mureti emendatio singulis vestigiis & apicib. vulgatę scripturę insistẽs, *Ibi sæuitiâ hyemis, & vi vulnerũ absumpti*.

101 c. LXXX. *Septimam decimam cohortem Colonia Hostiensi, in vrbem acciri Otho iusserat*] Mur. addi voluit præpositionem, *è Coloniâ*.

pag.

pag. 206. c. LXXXIII. *Neq; vt animum ad virtutem cohortarer* (*vtraq; enim egr.* &c.) *sed veni postulaturus à vobis temperamentū vestræ fortitudinis*] Muret. traiecit: *veni, sed postulaturus à vobis* &c. 102

Tumultus proximi initiū &c.] Non rectè ceperis, nisi rectè sic distinxeris: *Tumultus proximi initium non cupidine vel odio* (*quæ multos exercitus in discordiam egêre*) *ac ne detrectatione quidem aut formidine periculorum*: *nimia pietas vestra acrius quam consideratius excitauit.* 103

Ita se ducum auctoritas, sic rigor disciplinæ habet, vt multa per Centuriones tribunosq; tantum, iuberi expediat] Bis hunc locum attigit Lipsius. In curis secūdis probat Farnesiani Codicis scripturā, *multa etiā Centuriones*, eamq; explicat: In vsu & ex vsu militiæ est, vt mandata quędā soli Tribuni accipiant, & Centuriones. In postremâ recensione sequitur Hispanū librum, qui præpositionē *per* omittit, neq; *etiam* ipsum habet. Eamq; asseuerat lectionem, & hāc eius mentē verissimā: *quædam imperia Centurionib. tantum tribunisq; indicanda, nō in milites spargēda*. Neutrum horū voluit Tacitus, aut Otho, quorum vt mens nō satis liqueat, vna particella facit *tantum*, quæ verbo *iuberi* iungenda, non vocibus *centuriones tribunosq;*. Et Farnesianus liber rectè *etiam*, quo recepto locum sic distinguo: *vt multa etiam Centuriones Tribunosq; tantū iuberi expediat*. Hic sensus n. verus, nec pręter eū alius saltem probabilis. In vsu & ex vsu militiæ est, vt multa saltem iubeantur, non modo vulgus militum, sed Centuriones etiam ipsi ac Tribuni. 104

Id requirunt ſtatim ſequentia: *Si vbi iubeantur, quærere ſingulis liceat: pereunte obſequio, etiam imperium intercidit.* Quæ cum neutra Lipſianarum emendationum rectè cohærent.

105 C. LXXXIV. *Si Vitellio & ſatellitibus eius eligendi facultas detur, quem nobis animum, quas mentes imprecentur? quid aliud, quam ſeditionem & diſcordiam optabunt?*] Tolle interrogationis notam poſt verbum *imprecentur*, & repone comma. neque enim in præcedentibus ſaltem verbis adhuc interrogationis vis eſt, ſed conditionis expreſſio: in ſequentib. illatio cum interrogatione.

106 *Non herclè illi, quos cum maximè Vitellius in nos ciet, Germani audeant*] Apage Hiſpani libri lectionem, *queis cum*, pro cum quibus. Quod Lipſius tamen probare auſus eſt. Ne faceret, dictio ſaltem *cum maximè* monere debebat. lib. IV. Hiſt. *tolerant cum maximè inopiam obſidiumq; apud Vetera legiones.* Emendauimus in Plinii epiſtolis, libro decimo, inſignem locum. Tacitus iterum quarto Hiſtoriarum: *vaſtatam Italiam, capi cum maximè vrbem.*

107 *Vlline Italiæ alumni, & Romana verè iuuentus ad ſanguinem & cædem depoſcerent ordinem*] Lege, *depoſcent*. Niſi tamen hæc Taciti formula eſt, quæ & ſupra in Piſonis oratione: *Habitune & inceſſu, an illo muliebri ornatu, mereretur imperium*? & illic item à nobis interpolata, fortaſſè malè.

108 C. LXXXV. *Et oratio ad perſtringendos mulcendosq;*

dosq; mixtum animos]Muret. *ea*.non opus,nec probo.

Compositiq; ad præsens, qui coërceri non poterant]Leg.*potuerant*.qui antea nec coerceri quidem potuerant, nunc fuére etiam compositi. 109

pag. 207. *Animum vultumq; conuersi, ne diffidere dubiis,ac parum gaudere prosperis viderentur*]Muret.*animo vultuq; conuersi, ne d.dubiis, aut par.* Sanè *aut* omninò reponendum: priora cur mutet; nescio. nisi si poëticam magis, quam historicam locutionem censuit. At Tacitus in eam formam alia multa. 110

c. LXXXVI. *Statuam Diui Iulii in insula Tiberini amnis sereno & immoto die, ab occidente in orientem conuersam*] Muret. *die* delet, me non probante. 111

c. LXXXVII. *Curam nauium Oscus libertus retinebat, ad obseruandam honestiorum fidem inuitatus*] Non comparet sententia: minus etiam deletâ suspectâ voce *inuitatus*, quod fecerat Muret. Nec Lipsio Delius fauit: nescio, si mihi. Possit credo legi: *ad obseruandam,honestiorum fide inuitatus.* Id est, vt fideliter curam nauium ageret, fide honestiorum, & dignioris conditionis, ipse libertus inuitatus. Aut potius: *in obseruandâ, honestiorum fidem imitatus.* Vt in obseruandâ nauium curâ tam fideliter se gesserit,ac si non libertus,sed honestior aliquis esset. 112

Peditum equitumq; copiis Suetonius Paullinus, Marius Celsus, Annius Gallus, rectores destinati] Hispanus liber *constituti*. Lips. vtrumq; 113

ſpurium,& ſine eo ſententiam conſtare ait. Eſt ita verò. Sed vide, ſi ex Hiſpanicâ lectione alia concinnari melior poteſt, vt cum ſequentibus copuletur, in hunc modum: *peditum e. c. S. P. M. C. Annius Gallus rectores. Cunctis tuta, ſed plurima fides Licinio Proculo prætorii præfecto.*


114 C. LXXXIX. *Cum legiones claſſesque, & quod rarò alias Prætorianus vrbanusq; miles, in aciem deducti, Oriens Occidensq; & quidquid vtrinq; virium eſt à tergo*] Vt capias, diſtingue illa, *& quidquid vtrinq; virium eſt, à tergo.* Neque enim iungendum eſt *à tergo.* A Vitellio legiones, ab Othone claſſis, & Prætorius vrbanusque miles in aciem deducti. Vtrique à tergo multum virium. Pro Othone Oriens. Occidens pro Vitellio.

115 pag. 208. C. LXXXX. *Iuſtiſsimum donum, & in ſpeciem magnificum, ſed feſtinata exactione, vſu ſterile*] Muret. neſcio vnde inſerit, *feſtinata iampridem exactione.* Nullo detrimento ea vox abeſt, nec magno commodo ſanè adeſt.

116 *Quando vt in conſiliis militiæ Suetonio Paullino & Mario Celſo, ita in rebus vrbanis Galerii Trachali ingenio Othonem vti credebatur*] Credo illud *Othonem* ab interprete inſitum gloſſema eſſe.

IN

IN HISTORIARVM
LIB. II.



PAg. 209. c. I. *Et inclinatis ad credendum animis, loco omnium etiam fortuna*] Muretus *ominum*. quod ego adhuc teneo in suspenso, propior, vt non probem. 1

c. III. *Hostia vt quisq; vouisset, mares deliguntur*] Lege, *vt quisq; vouit, sed mares deliguntur.* 2

c. IV. *Titus aucto animo ad patrem peruectus suspensis prouinciarum & exercituum mentibus, ingens rerum fiducia accessit*] Rectè Lipsius, qui vocem *fiducia* tollit. Muretus non rectè, qui retinet & sic distinguit, *Titus aucto animo ad patrem peruectus. Suspensis prouinciar.* &c. 3

Quantumque illis roboris discrimina & labor, tantum his vigoris addiderat integra quies & inexpertus belli labor] Placet cum Lipsio deleri vocem *labor*, vt è lineâ superiore certò inculcatam: non placet scribi *inexpertis*. Lego, *integra quies & inexperta belli.* 4

c. VI. *Nulla seditio legionum: tantum aduersus Parthos minæ, vario euentu*] Lego, *Vano.* 5

pag. 211. *Quantum insularum mari cingitur,* 6

& parando interim bello seclusum tutum ipsumq; mare] Lipsius alteram lectionem *secundum tutumq;*, probat: non possum ego, sed deletâ copulâ distinguo: *Quantum insularum mari cingitur, parando interim bello, seclusum; tutumq; ipsum mare* &c.

7 C. VII. *Sed bellantibus aliis placuit exspectari bellum, cum in victores victosq; nunquam solida fides coalesceret*] Rodolphi lectionem, quæ eadem & priscæ editionis: *cum victoribus victos nunquam solida fide coalescere*: probat Lipsius itemque Modius. Muretus deletâ voce *bellum* scripsit: *placuit exspectari: in victor. victosq; n. s. f. coalescere.* Et si attendis, *bellum* nihili hîc vox. Quid enim est aliis bellantibus bellum exspectare? Vespasianus quidem bellum nullum exspectabat, sed inferre cogitabat. Nec tamen cùm hoc deleri probo, reliqua emendationis eius admitto. Aliud latere video in corruptis particulis *cum in*. Scribo: *Sed bellantibus aliis, placuit exspectari casum: Victores victosq; nunquam solida fide coalescere. Casus* hîc est Taciti more, occasio. libr. XII. Annal. *Vbi Pomponius cum legionibus opperiebatur, si Catti cupidine vlciscendi casum pugnæ præberent.* Ibid. *Vologeses casum inuadendæ Armeniæ obuenisse ratus.* Annal. libr. XI. *Tunc distractis Orientis viribus, & quonam inclinarent incertis, casus Mithradati datus est occupandi Armeniã.* Et libr. XIII. Annal. *Et bene gerendæ rei casum offerri scripserat.* Et Sallustius in Iugurthino bell. *Fortunã illi* (lego, *illis*) *præclari facinoris casum dare.*
Sen-

Sententia sic verissima. Ita fit enim; aliis bellantibus alii occasionem captant. Et hæc ipsa mens Vespasiani: quam clarius paullò post Tacitus his declarat verbis: *Igitur arma in occasionem distulere.* Hæc emendatio vera & certa. Olim etiam moliebar: *placuit exspectari bellum, non sumi. Victores* &c. Nihili præ alterâ. Quid si legas etiam, *placuit exspectari belli casum?*

Igitur arma in occasionem distulêre, Vespasianus Mucianusq; nuper, ceteri olim mixtis consiliis; optimus quisq; amore Reipublicæ] Rectè arguit hunc locum deprauationis, medicinam ne tentat quidem Lipsius. Nec Rodolphi restitutionem probat, vtpote audaciorem: *nuper Titi opera mixtis consiliis.* Mihi certum traductione leui, & mutatione leuiore integrum locum ita fore. Lego: *Vespasianus Mucianusque secretis olim, nuper mixtis consiliis.* Ita enim est: Nuperrimè consilia miscuerant; quæ semper antehac secreta habuerant. Firmat & illustrat superior ille locus: *Ceterum hic Syriæ, ille Iudææ præpositus, vicinis prouinciarum administrationibus inuidia discordes, exitu demum Neronis, positis odiis in medium consuluêre.* De cetero nō muto nunc porrò, vt olim censebam: *Optimos quosque amor Reipub. multos dulcedo prædarum stimulabat, alios ambigua domi res.* 8

c. x. *Id Senatusconsultum variè iactatum, & prout potens vel inops reus inciderat, infirmum aut validū retinebatur*] Paullò melior ad marginem lectio: *retinebatur adhuc. Terrore & propriâ vi* &c. nondum optima. Scribo: *& prout* 9

p. v. i. r. inciderat, infirmum aut validum, retinebatur adhuc terrori. & propriâ vi Criſpus incubuerat delatorem fratris ſui perdere. Retinebatur terrori, id eſt, ad vel in terrorem.

10 pag. 212. c. XII. *Sed Pacenſis per licentiam militum victus, Antonio Nouello nulla auctoritas*] Eſt qui malit *vietus*. Muretus *vinctus*. peſſimè. Retineo *victus*, nec illa trita ſignificatione, ſed quâ etiam infra hoc libro vſurpatur: *Ne vt victi & ignaui deſpectarentur.* Et Terent. Heautont. actu III. ſc. I. *Si te tam leni & victo eſſe animo oſtenderis.* Quomodo idem fortaſſis & Eunucho: *Eludet, vbi te victũ ſenſerit.*

11 *Pleni agri, aperta domus. occurſantes domini iuxta coniuges & liberos, ſecuritate pacis, & belli malo circumueniebantur*] Neſcio, ſi mutandum: *occurſantes domini, iuxtà coniuges & liberi*. hoc ſcio, copulam delendam, ſcribendumque: *ſecuritate pacis, belli malo circumu.* &c.

12 c. XIV. *Duas Tungrorum cohortes, quatuor equitum turmas*] Muretus hîc *Turingorum*, & paullò inferius item *Turingarum cohortium præfecti*. Vnde, aut cur, neſcio.

13 pag. 213. c. XVI. *Sed Corſicam propè afflixit Decimi Pacarii procuratoris temeritas, tanta mole belli nihil in ſumma profutura, ipſi exitioſa*]. Rectè in margine *ſummam*. Sed vide, verba rectè ordines, vt ſenſum ſatis aſſequaris. Temeritas nihil profutura in ſummâ belli tanta mole, id eſt belli, cuius eſſet tanta moles.

14 c. XVII. *Irritabat quinetiam Batauos Transrhena-*

rhenanosq; Padus ipse: quem contra Placentiam transgressi &c.] Muretus inserit, è libro, credo: *quem repente contra Placentiam.*

pag. 214. c. xviii. *Sed indomitus miles & 15
belli ignarus, correptis signis vexillisq; ruere, & retinenti duci tela intentare, spretis centurionibus tribunisq; prouidentiam ducis laudantibus, qui pro Othone, & accitum Cæcinam clamitabant*] Non emaculat locum solum illud mutatū *quin*, quod margini apposuerunt. Maius vlcus est, quod absq; sectione non curabitur. Resecanda enim illa, *prouidentiam ducis laudantibus*, turpiter inculcata ex inferiore isto loco: *Iamq; totis castris modesti sermones, & inserentibus se centurionibus tribunisq;, laudare prouidentiam ducis, quod coloniam virium & opum validam, robur ac sedem bello legisset.* Scribe igitur hîc: *spretis centurionibus tribunisque, qui pro Othone, & accitum Cæcinam clamitabant.* Quæ eiecimus verba, Muretus etiam subduxerat, eiicienda an & ipse ratus, nescio. Ea quidem nota illi solet esse, delendi vel mutandi. Sed idem & *quin* mutauerat. quod eiectis illis locum non habet. Vnde tollenda censuisse, vix crediderim.

c. xix. *Tum vetustissimus quisq; castigare cre- 16
dulitatem suam, metum ac discrimen ostendere, si cum exercitu Cæcina, patentib. campis, tā paucas cohortes circumfudisset*] Non abnuerim cum Lipsio potius ex veteri lectione *modestissimus* rescribere. Ceterum inserenda etiam videatur talis aliqua vocula: *castigare credulitatem suam, aliis metum ac discrimen ostendere.* Quamquam

cum sequentia diligentius cum his confero, videtur mihi etiam hîc transpositio facta. Ordo certè hic magis arriserit: *Tum vetustissimus quisq; castigare credulitatem suam: iamq; totis castris modesti sermones, inserentibus se centurionibus tribunisque, laudare prouidentiam ducis, quod coloniam virium & opum validam, robur ac sedem bello legisset, metum ac discrimen ostendere, si cum exercitu Cæcina patentibus campis, tam paucas cohortes circumfudisset.* *Iuserunt se laudare* Taciti phrasis. Infra: *Pleraque municipia & coloniæ æmulabantur corruptissimũ quemque adolescentum pretio allicere.*

17 *Ipse postremo Spurinna non tàm culpam exprobrans, quàm ratione ostendens*] Nescio an melius, *oratione.*

18 c. xx. *Gnarus, vt initia belli prouenissent, famam in cetera fore*] Sententia eadem in Agricola: *Non ignarus, instandum famæ, ac prout prima cessissent, fore vniuersa.*

19 c. xxi. *Fraude illata ignis alimenta credidit, à quibusdam vicinis colonis, inuidiæ æmulatione, quod nulla in Italia moles tam capax foret*] Malim legere cum Mureto: *à quibusdam è vicinis coloniis, inuidiâ & æmulatione.* Sic enim disiungere solet Tacitus lib. 1. hist. *Vnde æmulatio & inuidia, & vno amne discretis connexum odium.* Ad finem libr. 11. *Æmulatione inuidiaque, ne ab aliis apud Vitellium anteirentur.* &c.

20 pag. 215. c. xxii. *Et Cæcina, famâ & pudore cœpta temerè oppugnationis, ne irrisus ac vanus iisdem castris assideret, traiecto rursus Pado, Cremonam*

monam petere intendit] Lipsius legit, *fame & pudore.* Vnde obsecro Cæcinæ fames? Aio delendas voculas *fama &*, repetitas temerè, cum nullo pæne interuallo eædem præcessissent: *Infracta partium fama. Et Cæcina* &c. Lege igitur: *Et Cæcina pudore cœpta temerè oppugnationis.*

pag. 216. c. XXVI. *Ne Vitellianus miles recens è castris fessos aggrederetur, perculsis nullum retrò subsidium foret*] Inserit Muretus & ego cum eo copulam: *& perculsis.* Vt etiam *fore* legatur eidem non assentio. Imò iam assentio, loqui sic Tacitum solere: an hîc locutus ita, nondum. 21

c. XXVII. *Haud perinde damnum Vitellianos in metum compulit, quàm ad modestiam composuit*] Iterum Muret. inserit: *Haud perinde id damnum.* Sequor. 22

pag. 217. c. XXX. *Expositos se tanto pauciores integris hostium viribus querebantur, simul in suam excusationem, & aduentantium robur per adulationem attollentes, ne ut victi & ignaui despectarentur*] Traiectionem & hîc agnosco. Ordino: *querebantur, simul in suam excusationem, ne ut victi & ignaui despectarentur, & aduentantium robur per adulationem attollentes. Et quamquam pl.* &c. 23

pag. 218. c. XXXIII. *Iidem illi deteriores consilii auctores perpulêre, ut Brixellum concederet*] Lego, *deterioris.* superius consilium intelligit de properatione pugnæ, quod deterius illi dederant. 24

25 c.XXXIV. *Quieti intentiq; Cæcina ac Valens, quando hostis imprudentiâ rueret., quod loco sapientiæ est, alienam stultitiam opperiebantur, inchoato ponte transitum Padi simulantes, aduersus oppositam gladiatorum manum. Ac ne ipsorum miles segne otium tereret, naues pari inter se spatio, validis vtrinq; trabibus connexa, aduersum in flumẽ dirigebãtur*] Aliter distinguẽdus locus. Nec n. hinc noua periodus inchoanda: *Ac ne ipsorũ miles*, &c. Sed nectenda ea cũ superioribus, quorum sententia integra finitur demũ in verbo *tereret*. Duas enim caussas ponit Tacitus inchoati à Vitellianis pontis, & vt trãsituri Padum viderentur contra gladiatores oppositos, & ne miles ipsorum segne otiũ tereret. Postillà pontẽ & eius formã describit. Igitur sic distingue: *alienam stultitiam opperiebantur, inchoato ponte, transitũ Padi simulantes aduersus oppositã gladiatorũ manũ, ac ne ipsorũ miles segne otium tereret. Naues pari inter se spatio, validis* &c.

26 pag. 219. c.XLI. *Circumsistere alii signa sua, quærere alii: incertus vndiq; clamor, accurrentiũ, clamantium*] Quod ad marginem est *vocantiũ*, sententia sanè requirit: nisi tamen quia in Vaticano libro *vomantium* legitur, inq; eo Lipsius latere aliud verbi putat, fuerit fortè, *vocitantiũ*. Nam Mureti *acuentium*, *volantium* æquè ridicula, ac Palmerii *bouinantium*.

27 pag. 220. c.XLII. *Is rumor ab exploratoribus Vitellii dispersus, an ipsa Othonis parte, seu dolo, seu forte surrexerit*] Muret. additâ præpos. *an in ipsâ*.

c.XLIV.

c. XLIV. *Hos certè non dum victos, & si ita ferret, honestius in acie perituros*] Nonne addendum aliquid ad illa fuerat, *si ita ferret?* Fortè legendum, *si fors ita ferret*. 28

pag. 221. c. XLVI. *Nec prætoriani tantum, proprius Othonis miles, sed præmissi Mœsiâ*] Muret. *præmissi è Mœsiâ*. Sed innumeris locis præpositiones ad eum modum omissæ, incertum ab ipso auctore an ab exscriptoribus. 29

c. XLVII. *Ne tempus computaueritis, difficilius est temperare felicitati, quâ te non putes diu vsurum*] Cum Mureto malim scribere & distinguere: *Nec tempus computaueritis. Difficilius est* &c. 30

c. XLIX. *Atq; illum iam supremas curas agentem repens tumultus auertit*] Non hîc ausim reponere *aduertit*. eo significatu, quo in Annalibus noster vtitur, & nos ibi notauimus. 31

pag. 222. c. LI. *Verginius per auersam domus portã furtim digressus irrumpentes frustratus est*] Mur. *partem* maluit. Parum abest, quin ego & hoc & illud spernam, scribamque, *per auersa domus furtim digressus*. Quî minus enim hîc ita, si ad finem libri III. rectè Lipsius eodem modo; *Vitellius captâ vrbe, per auersa Palatii, Auentinum in domum vxoris sellulâ defertur*. Nam & hîc vulgò: *per auersam palatii partem*, & Roman. non, *portam*. Si alterutrum vtrobique retinendum, quod crediderim: *partem* retinendum. Eâ enim vtitur & post libr. III. hist. *Et monuit Martialem, vt per secretam ædium partem occulte abiret*. 32

33 C. LIII. *Sed inuisum memoriâ delationum expositumq; ad inuidiā Marcelli nomen, irritauerat Cæcinam, vt nouus adhuc & in Senatum nuper adscitus, magnis inimicitiis claresceret*] Fatebere multo hic rectius legi *inuitauerat*.

34 pag. 223. c. LIV. *Et Cœnus quidem rapidus in vrbem vectus, paucos post dies, iussu Vitellii pœnas luit*] Muretus delet *iussu Vitellii*, nescio an librorum auctoritate, an ob glossematis suspicionem.

35 C. LVI. *Iampridem attritis Italiæ rebus, tantum peditum equitumq; vis, damnaq; & iniuriæ ægrè tolerabantur*] Non equidem ego offendor in hac lectione: sed quia Lipsio visum accipere vocabulum *Vis* pro multitudine & copiâ, eoq; delere, vt glossema, *tantum*, si quid omnino mutandum, magis placeat, non deleri, sed leuiter concinnari, *tanta peditum equitumq; vis*. Sed ego in vulgato lubens acquieuerim.

36 C. LVII. *Pauci veterum militum in hibernis relicti, festinatis per Gallias dilectibus, vt remanentium legionum nomina supplerentur*] Non muto & hoc: sed valde hæsito an non potius, *numeri*.

37 pag. 224. c. LIX. *Breui auditu, quamuis magna transibat, impar curis grauioribus*] Neque hoc damno. Sed potuit Tacitus scripsisse, *transmittebat*, quod illi familiare in hac re verbum.

38 *Ipse Arare flumine deuehitur, nullo principali paratu, sed vetere egestate conspicuus: donec Iunius Blæsus, Lugdunensis Galliæ rector, genere illustri*

illustri, largus animo, & par opibus, circumdaret principi ministeria, comitaretur liberaliter, eo ipso ingratus, quamuis odium Vitellius humilibus blanditiis velaret] Obserua *Comitari* verbum nouo & inusitato aliàs significatu, pro comitatu instruere. nisi tamen Tacitus ita non scripsit, quod subuereor, & iam inclino, vt reponam, *comiter & liberaliter.*

c. LX. *Et Vitellius credidit de perfidia, & fidem absoluit*]Egregium acumen deprauat Muretus legendo, *& ideo absoluit.* Quod reuera fides fuerat, Vitellius perfidiam fuisse persuasus, sub huius nomine illam absoluebat. Et nouè inopinatéque dixit *fidem absolui*; *absolui perfidiâ* potius soleat & debeat. 39

c. LXII. *Prorsus si luxuriam temperaret, auaritiam non timeres*] Muret. *luxuriæ.* Nihil interest: sed hoc elegantius, & magis in Taciti vsu. 40

c. LXIII. *Nec vllis tantorum criminum probationibus, in pœnitentiam versus, secundam veniam post scelus quærebat*] *Seram* aliàs legi notatum, sed nemini adhuc receptum. Mihi olim *post* glossema videbatur, & Tacitum scripsisse: *veniam secundum scelus quærebat.* Esse enim scil. aliquandò *secundùm* idem quod *post.* Nunc hæsito. 41

pag. 225. c. LXIV. *Nec vllis postea fortunæ illecebris, aut ambitu ciuitatis in gaudium euicta*] Muret. mutat, *euecta.* Ego quod vulgatur, scripsisse Tacitum credo, imò scio. 42

c. LXVI. *Quartadecimani, postquam Alpibus* 43

digressi sunt, seditiosissimus quisque signa Viennam ferebant] Significantius legas, *degressi*. Atque ita libr. I. *Cacina propiore transitu Peninis iugis degredi iussus.* Libr. III. *Pullo amictu palatio degreditur, mæstâ circum familiâ.*

44 pag. 226. c. LXIX. *Reddita ciuitatibus Gallorum auxilia, ingens numerus, & prima statim defectione inter inania belli assumtus*] Non habet hîc locum *inania*, multo minus Lipsii *immania*. Feram, quod in aliis libris est, *munia*, donec quod probem aliud inueniatur. Conieci ipse olim, *minas*, neque nunc displicet: nondum tamen in eo acquiesco. *Inter minas*, id est, dum bellum parat, & minatur, aptissima quidem sententia. Quid si pro *inania* legas *initia*?

45 pag. 227. c. LXXIII. *Vix credibile memoratu est, quantum superbiæ secordiæq; Vitellio adoleuerit, postquam speculatores Syria Iudæaque, adactum in verba eius Orientem nuntiauêre*] Iterum Muretus præpositionem addit, *speculatores è Syria*. Possis etiam legere, *superbia secordiaq;*, nominandi casu, id est, quantum Vitellio aucta sit superbia.

46 c. LXXIV. *At Vespasianus bellum armaque, procul vel iuxta sitas vires circumspectabat*] Inseruerim cum Mureto copulam, *& procul vel iuxta*.

47 *Præfectus Aegypti Alexander consilia miscuerat*] Censet Mur. inserendum, *Ti. Alexander*, quæ nota valet, *Tiberius*: quod nomen etiam huic Alexandro.

48 *Namq; omnes exercitus flammauerat arrogantia*

gantia venientium à Vitellio militum] Vbi elegantia Mureti mutantis, *Namq; omnis exercitus flammauerat ad arrogantiā ven.* &c. Apage inficetam & non necessariam correctionem.

Sed inerat à mole belli plerumq; contatio] Hîc 49
quoque non necessariò idem mutat: *Sed in tanta mole belli*. Phrasis Taciti eum decepit, quam notabis in simillimo loco huius ipsius libri propius initium: *Sed quò plus virium ac roboris, è fiduciâ tarditas inerat*. Velleius libr. II. *Admonitio frequens inerat & castigatio, vindicta rarissima*.

Esse priuatis cogitationibus progressum] *Re-* 50
gressum, ad marginem notatum, quod nemo recipiet, qui sequentia ex opposito dicta rectè accipiet.

pag. 228. c. LXXVII. *Aperiet & recludet con-* 51
tecta victricium partium & tumescentia vulnera, bellum ipsum] Quis non viderit legendum? *tumescentiâ*.

Nec mihi maior in tua vigilantiâ, parcimoniâ, 52
sapientiâ fiducia est, quam in Vitellii torpore, inscitiâ, sæuitiâ] Ambigit Lips. de voce *parcimonia*, & *acrimoniâ* substituit. Ambigendi iusta illi caussa, si vulgari significatione *parcimonia* accipitur. At hîc noua illa & vix alibi vnquā vsurpata. Clementiā n. intelligit Tacitus, aut quid clemētię affine, quod alio vocabulo nō possis exprimere. Id clarū ex antithesi, quia vt *torpori Vitellii, vigilantiā Vespasiani, & inscitia, sapientiā: sic sæuitiæ parcimoniam* opponit. Ac forte ideo transponenda hæc ipsa vox, collocandaq; post

ſequentem *ſapientiâ*, vt ordo contrariorum rectius mutuò ſibi reſpondeat, quem non ita ſollicitè obſeruaſſe tamen auctor poteſt, neq; admodum neceſſe fuit. Omninò autem non *maior* legendum, ſed *minor:* quod mirum non vidiſſe alios, ſi ſententiam loci viderunt.

53 C. LXXVIII. *Baſilides ſacerdos, inſpectis identidem extis, quidquid eſt, inquit, Veſpaſiane quod paras, ſeu domum* &c.] Lego *quidquid id eſt*, &c.

54 pag. 229. C. LXXX. *Vt primum tanta multitudinis offuſam oculis caliginem diſiecit, militariter locutus, læta omnia & affluentia excepit*] Lipſius olim, *læta omnia & fauentia*. quod iure poſtea ſpreuit. Muretus, *læta omina*. Nondum hoc ſatis. Perge porrò, *læta omina ex affluentiâ excepit.*

55 C. LXXXI. *Acceſſere cum regno, Sohemus haud ſpernendis viribus, Antiochus* [*vetuſtis opibus ingens*] Non certè cum Lipſio adtextam vocem *ingens* cenſeam. Nec, quod ait, ſententiam obnubilat. Nam de phraſi non repugno: ſed vtroque modo promiſcuè Tacitus. Magis concinnem quod præcedit, *Sohemus haud ſpernendus viribus*, non aliâ cauſsâ, niſi vt aptius opponantur, *haud ſpernendus* & *ingens*.

56 C. LXXXII. *Donatiua militi neq; Mucianus prima concione, niſi modicè oſtenderat*] Muretus, *Donatiuum*. Nec facile aliter ſcripſit Tacitus.

57 pag. 230. C. LXXXIV. *Propriis quoq; opib. Mucianus*

nus bellum iuuit, largitus priuatim, quod auidius de Rep. sumeret] Mur. *quò*. Non opus mutari, nec vtro modo legas interest.

c. LXXXV. *Ita tres Mœsicæ legiones per Epi-* 58
stolas alliciebant Pannonicum exercitum, aut abnuenti vim parabant] Lege, *Iam tres* &c.

c. LXXXVI. *Is legibus nocens, & tempore* 59
Neronis falsi damnatus, inter alia belli mala, Senatorium ordinem reciperauerat, præpositus à Galbâ septimæ legioni] Potius est, postrema verba sequentibus iungi per distinctionem huiusmodi: *Senatorium ordinem reciperauerat. Præpositus à Galbâ* VII. *legioni, scriptitasse Othoni credebatur, ducem se partibus offerens.*

pag. 231. c. LXXXX. *Vulgus tamen, vacuum* 60
curis, & sine falsi veriq; discrimine solitas adulationes edoctum; clamore & vocibus adstrepebat] Quid si *solas*? quod requirere illa videntur, *sine falsi verique discrimine*. Nec tamen mutauerim.

c. LXXXXII. *Præposuerat Prætorianis P. Sa-* 61
binum, ac præfecturæ cohortis Iulium Priscum, dum centurio esset] Nititur emendare Lipsius, *Præposuerat Prætorianis P. Sabinum à præfecturâ vrbis*, (vel *ac præfecturæ vrbis*) *& Iulium Priscum, olim centurionem*. Sed hîc nimium licenter addidit de suo, quod libuit: vt phrasin taceam non Taciti, *Præponere præfecturæ*. Neque Lipsius eam religionem hîc seruauit in mutando, quam solet: etiam sententiæ ambiguus, duplicem lectionem dedit. Mihi & verba & sententiam diligentius pensitanti sic

videtur: voces duas *præfecturæ cohortis*, traiectas esse, alteram earum & leuiter mutatam; quas si liceat mihi sic vicissim mutare & traiicere, credam locum sanum fore: *Præposuerat prætorianis P. Sabinum, ac Iulium Priscum, dum prætoriæ cohortis centurio esset.* Certò enim id colligitur è proximi libri loco, quem Lipsius adducit, collegas hos prætorianæ præfecturæ fuisse. Et de Prisco verisimile est, quia Centurionē fuisse dicit, fuisse prætoriæ cohortis. Atq; ideò tamquam rem nouam & magnæ promotionis exemplum addit, ex Centurione prætoriæ cohortis, Præfectū ipsius prætorii factum.

62 C. LXXXXIV. *Robora tamen legionibus alisque subtracta, conuulsum castrorum decus, XX millibus è toto exercitu permixtis magis quam electis*] Mur. *conuulsumq;*. Mihi duriter etiam dictum videtur, *permixtis è toto exercitu*. Nec tamen facile mutarim: nisi forte noua voce, sed valde significante scripsit Tacitus *emixtis*. Quod dicere vult, vix sanè expressius pariter & acutius alio verbo dixerit.

63 *Nec coërcebat eiusmodi voces Vitellius, super insitam animo ignauiam, conscius sibi instare donatiuum, & deesse pecuniam, * omnia alia militi largiebatur*] Liberare hunc locum stigmate Lipsius vult interpretatione: an liberet planè nescio. Illud scio, quidquid illis postremis sit, sententiam puncto finiendam post vocem *pecuniam*. Neq; enim sermonis textus aliter patitur. Sequētia integra prorsus ego nō censeo. Quod si ea illorum, quam Lipsius vult, sententia: tamen

men minimum vna vocula deerit, & talis: *Interim omnia alia militi largiebatur.* Sed certè sententia hęc difficile est vt vera sit: quando neque cū præcedentib. neq; sequentib. coheret.

pag. 233. c. LXXXXV. *Faces; Augustales subdidere*] Mur. *Facem.* leue nimis hoc. 64

c. LXXXXVIII. *Et hæc illaue defensurus, prout inualuissent*] Caue mutes cum Lipsio, *prout ii valuissent.* 65

Mare quoq; Etesiæ flabant. harū flatu in orientem nauigantib. secundū, inde aduersum erat] Magna scripturæ diuersitas, sed nata è glossis. Aperte n. illa in Vaticano & Budensi, *flabra Aquilonis*, interpretamentū sunt ad vocē *Etesiæ.* Itaq; non audi Lipsiū: *Mare quoq; Etesii flabāt* (vel *inflabant*) *Aquilones. Horū flatu* &c. Neq; n. assuta illa cogenda in emendationē erant: vt de locutione ipsa nō dicam, *mare flare*, vel *inflare.* quę historica nequaquam est. Illis resectis simplicissimam & apertissimam lectionem facio: *Mare quoque Etesiarum flatu in orientem* &c. quomodo & Muretus coniecerat ante nos. 66

c. LXXXXIX. *Cæcinā & Valentem expediri ad bellū iubet*] An nōn elegantius *expedire?* vt loquebatur ad finem libri I. *Multos è magistratibus, magnam consularium partem, Otho, non participes aut ministros bello, sed comitum specie, secum expedire iubet.* 67

pag. 234. c. C. *Ipse Rauennā diuertit, prætexto classem alloquēdi*] Forte, *prætextu.* Si *prætexto* retines; & participium accipis; erit ea loquendi forma, quā in solo Tacito Lips. obseruauit, nos etiā in Valerio Maximo notauimus li. IV. c. III. 68

Ad eum locum notas nostras vide. Sed *prætexto* iterum vt nomen libr. III. *Diliguntur legati ad exercitus, vt prætexto Reipubl. concordiam pacemq; suaderent.* Vbi Mur. tamen emendabat, *prætextu.* Sed & Suetonius *Prætextum* neutro genere disertim vsurpat. Iul. cap. xxx. *Et prætextum quidem illi ciuilium armorum hoc fuit.*

IN HISTORIARVM LIB. III.

1 PAg. 235. c. I. *Illic agitauêre, placeretne obstrui Pannoniæ alpes, donec à tergo vires vniuersæ consurgerent, an ire cominus, & certare pro Italiâ constantius foret*] Non temerè mutem *pro Italiâ,* & tamen sententiæ non videtur conuenire. Forte scribendum, *per Italiam.* id est, in Italia. Hæc enim sit eorum forsan consultatio, an manendum intra Pannonicas alpes, an statim in Italiam bellum transferendum. Sed non mutem. Antonius infra: *Sibi salutem securitatemq; Italiæ cordi fuisse.*

2 c. II. *Sed addito spatio, rediturum & his robur meditatione belli*] Non finienda hîc sententia puncto: sed nectenda cum sequentibus, *rediturum & his robur med. belli, nec procul Germaniam* &c.

3 *Nec procul Germaniam, vnde vires, Britanniam freto dirimi, iuxta Gallias Hispaniasque,* *vtrinq;*

vtrinq; viros, equos, tributa] Non feres, *vtrinq;*. Non enim de duabus tantum loquitur, Galliis, Hispaniisque; sed & Britanniâ. itaque dicendum fuerat potius *vndique*. Sed alibi laborat locus. Credam ego vocabulum *vires* inculcatum ex sequenti versu, vbi *viros*; atque eo sublato, ita scribenda distinguendaq; reliqua: *Nec procul Germaniam, vnde Britanniam freto dirimi; iuxtà, Gallias; Hispaniasq;: vtrimq; viros, equos, tributa.* Sic *vtrimq;* accipies, cum è Germania & Britannia, tum è Galliis & Hispaniis. Iungit enim ob vicinitatem binas vtrobique regiones. Quamquam non tam vicina Germaniæ Britannia: neque, si cautè loqui velis, à Germania, neque freto hercule dirimitur. Sed Antonius in rem suam loqui ita voluit, complexus sub Germaniæ vocabulo etiam Belgicum, (quę tota pars, Romanis inferior Germania appellata,) & *freti* nomine designans eam maris partem quâ ex Belgico breuissimus in Britanniam traiectus est. Hoc idem de hoc loco censuisse etiam Muretum suspicor, quia vocem *Vires* subduxerat lineolâ, non eâ tamen planè, quâ delenda solet signare.

pag. 236. c. III. *Non vt plerique, incerta disseruit, huc illuc tracturus interpretationem, prout conduxisset*] Siue, *interpretatione*. 4

c. IV. *Ceterum vt transmitteret in Italiam impune, & eo vsui foret, scriptum Aponio socium reuirescere crederet*] Mirum & fœdum hunc aliquot deinceps foliorum traiectum sagaciter odoratus Lipsius, feliciter in ordinem reposuit. 5

Sunt tamen in partibus adhuc multa, quæ aliorum etiam opem flagitant. Nos quædam, quæ poterimus, perpoliemus mangonum instar, vt totum corpus aliquanto nitidius efficiatur. Itaque in his verbis id prædicemus nullam habendam rationem istorum, *socium reuirescere crederet*: neque de iis laborandum, vt emendentur. Sunt enim eadē quæ multo post traiecta leguntur, (sed ita eadem, vix vt agnoscas, adeò corruptiora ex corruptis propagata sunt) *vt innocuum Mœsicum exercitum celebrare*. ex quibus rectè iampridem, & vero facile emendarunt: *vt vna cum Mœsico exercitu celeraret*. Illa igitur abiiciamus, & reliquis operam nauemus. Factum ante à Lipsio, qui legit, *Ceterum vt transmitteret in Italiam impunè & eo vsui foret, scriptum Aponio, & vnà cum Mœsico exercitu celeraret*. Factum item à Mureto: *Ceterum vt transmitteret in Italiam, inprimis ex vsu id fore, scriptum Aponio, & vnà cum Mœsico exercitu celeraret*. Verum à neutro satisfactum. Inconcinna enim sermonis structura, & sententia non nimis apta: tum phrasis, *transmittere in Italiam*, insolens, pro huius quidem loci significatione. Neque enim nauibus venturus erat in Italiam Aponius: & de itinere terrestri non sic historicus, sed Poëta, & ne hic quidem eo planè modo loquatur. Ego deesse voculam suspicor: quam repono, & cetera concinno: *Ceterum vt transmittere bellum in Italiam impunè, & ex vsu foret, scriptum*

ptum Aponio, vt vnà cum Mœsico exercitu celeraret. Hæc quidem omninò mens: vocabant Aponium cum Mœsico exercitu, vt maioribus aucti copiis tutò & vtiliter in Italiam bellum transmitterent. Hæc enim Tacito sua phrasis, quâ indubiè hîc vsus, vt in re prorsus simili, libr. II. *Aperuerat iam Italiam; bellumq. transmiserat ala Syllana.* Qui idem locus alterius paullò superius in hoc ipso libro emendationem firmat: *Iam reserata Italia, impulsas Vitellii res audietis.* Ita enim cum Lipsio omninolegendum, non *militia*.

c. VI. Gr. IX. Pi. *Sed Cæcina per varias moras* 6 *prima hostibus prodidit* (Lips. *vendidit* scripsit in Ord.) *tēpora belli, dum quos armis pellere promtum erat, epistolis increpat, donec per nuntios pacta perfidia firmaret*] Lego, *primò hostibus prodidit tempora belli, dein quos arm.* &c.

Misit epistolas Cæcina, temeritatem victa 7 *arma tractantium incusans*] Verius, *retractantium.*

pag. 237. c. VII. Gr. V. Pi. *Ac ne inermes pro-* 8 *uinciæ barbaris nationibus exponerentur, principes Sarmatarum Iazygum, penes quos ciuitatis regimen, (* omittit hæc verba Lipsius nullo merito) *in commilitium asciti; plebem quoque & vim equitum, quâ solâ valent, offerebant*] Non cohærent hæc sensu, neque igitur debent loco. Quæso enim quid rationis, ideò principes Sarmatarum in commilitium ascitos, ne prouinciæ inermes barbaris

gentibus exponerentur in prædam? An eo defendebantur prouinciæ, si Sarmatarum principes è regione sua ad bellum ciuile Romanorum abducerentur? logi, quibus nulli magis alogi. Auferenda hinc priora ista, *Ac nè inermes prouinciæ barbaris nationibus exponerentur*: ac transferenda, vt cum illis iungantur, *opposita in latus auxilia*. Neque enim hæc etiam ipsa cum iis, quibus vulgò iunguntur, aptè cohærent: *Infesta Rætia, cui Porcius* &c. Sed integra an sint, etiamsi cum superioribus istis nectantur, valde dubito. Sententia facile persuadeat de defectu, & genus loquendi ipsum moueat, vt corrupta, quæ supersunt, credas. Quid est enim *in latus opponere*? Quod mutare tamen pronum sit, si legas, *opposita*, (vel *disposita*) *in locis auxilia*. Ceterum, vt porrò magis turbem, maior etiam non procul hinc facta transpositio. Nam post ista: *nec illis aut his prœlium tentantibus fortuna partium alibi transacta*: insequi debent, quæ longè hinc infra leguntur, & corrupta quidem insigniter leguntur: *Et interceptus exercitus per Rætiam, Iuliasq; Alpes. ac ne peruium illà Germanicis exercitibus foret, obsepserat*. Quæ emendabo simul, simul omnia in eum ordinem committam, & asscribam quo legenda ego censeo. Et ordiar ab ipso confusionis initio: *Ceterum vt transmittere bellum in Italiam impunè & ex vsu foret, scriptum Aponio, vt vnà cum Mœsico exercitu celeraret. Principes Sarmatarum Iazygum, penes quos ciuitatis regimen, in commilitium adsciti, plebem quoq; & vim*

equitum

*equitum quâ solâ valent, offerebant. remissum id munus, ne inter discordias externa molirentur, ac maiore ex diuerso mercede ius fasq; exuerent. Trahuntur in partes Sido atq; Italicus reges Sueuorum, quibus vetus obsequium erga Romanos, & gens fidei * commissæ patientior.* (huic plagæ non Lipsius, non Palmerius, non Muretus, qui legit, *& gens fidei commissi patentior*, medentur, etsi tentant: ego ne tento quidem, ita medicinam omnem hic despero. Est & qui legat, *fidei constantior*, quâ phrasi Tacitus vtitur parum infra hoc eodem libro: *Claudius Apollinaris, neque fidei constans, neque strenuus in perfidiâ.* Est & qui velit, *fidei promissæ seruantior.*) *Ac ne inermes prouinciæ barbaris nationibus exponerentur, * opposita in latus auxilia. Infesta Ratiæ: cui Porcius Septimius procurator erat incorrupta erga Vitellium fidei. Igitur Sextilius Felix cum ala Auriana & VIII. cohortibus ac Noricorum iuuentute ad occupandam ripam Æni fluminis, quod Ratos Noricosq; interfluit, missus. nec his aut illis prœlium tentantibus, fortuna partium alibi transacta Et interiectus exercitus per Ratiam, Julias quoque Alpes, ne peruiũ illa Germanicis exercitus foret, obsepserat. Antonio vexillarios è cohort.* &c. Eum sanè ordinẽ res ipsa postulat. ac primò Tacitus Romana pariter & externa Vespasiani auxilia: deinde curam prouisumque ducum memorat, ne aut prouinciæ exercitibus spoliatæ aliis nationibus in prædam interea cederent, aut ne aliqua hostilibus copiis transitus, & irruptionis occasio

relinqueretur: post quæ deniq; profectionem Antonii & Vari, ingressumq; ipsius belli.

9 c.VIII. Gr. IX. Pi. *Antonio vexillarios è cohortibus, & partem equitum ad inuadendam Italiã rapienti, comes fuit Arrius Varus, strenuus bello, quam gloriam ei dux Corbulo & prospera in Armenia res addiderant*] Turbat hîc Lipsius, sine caussâ. Mihi liquet, si pro *addiderant*, scribam *circumdederant*. quo verbo quin sit Tacitus hîc vsus, dubitari non potest, si exempla eius locutionis ipsi velut propriæ, sparsa vbique plurima inspiciantur. Aliquot mihi notata ad Dialogum de Oratoribus, quæ huc inde transfer.

10 *Sed Primus ac Varus occupantes Aquileia proxima quaque*] Alii libri, *occupatâ Aquileiâ, in proxima quaque*, id magis placet. Lipsii, *in proximo quoque*, ferri non pote. Elliptica namque oratio est, cui verbum subauditur. Tales in Tacito alibi crebræ. 11, Annal. *Quod arduum, sibi; cetera legatis permisit*. Agricolâ: *Nihil per libertos seruosque publica rei*. libr. 1. hist. *Omnia seruiliter pro dominatione*. Et hoc libro, nec procul hoc ipso loco: *Nihil prorsus quod aut corrumperet hostem, aut terreret*.

11 c. IX. Gr. VII. Pi. *Vulgatâ victoriâ post principia belli secundum Flauianos*] Mihi non deleto, sed mutato *post*, legi placeat: *ipso principio belli*.

12 c.X. *Rapiuntur arma, & vt proditionis * ira militum in T. Ampium Flauianum incubuit*] Clarum desiderari vocem aliquam: sed id mihi

quoq;

quoque clarum, non aliunde inserendam, sed hic latentem educendam. Lego: *Rapiuntur arma metu proditionis. Ira militum in T. Ampium* &c. Quâ correctione nihil certius. nec audiamus Lipsium, *auctorem, compertum*, vel tale quid inculcantem: Muretum multo minus, verba interpolata traiicientem, *Rapiuntur arma, & ira militum in T. Ampium Flauianum vt proditorem incubuit*.

pag. 238. c. xi. *Legiones veluti tabe infectæ*, 13
Apanium Saturninum Mœsici exercitus legatum, eò atrocius aggrediuntur, quod non, vt prius, labore & opere fessæ, sed medio diei exarserant] Melior verborum ordo sit: *legatum aggrediuntur, eò atrocius, quòd* &c.

Vacantium forte balnearum fornacibus abditus] Muretus, *fornicibus*. 14

c. xii. *Quæ prouinciæ Vespasiano tenebantur*] 15
Iterum Mur. præpositionem addit *a Vespasiano*. quam subintelligi Tacitus voluit, vt pænè innumeris aliis locis: quorum multis deinceps, cum idem similia inseret, silentio transmittam. Hîc *Vespasiano* vocem etiam dandi casu aptè acceperis, & verbum *tenebantur* eleganter interpreteris, obstrictæ erant. quomodo pulcherrimè Apuleius vtitur libr. III. Metamorphoseos: *Nam me, quæ sola mortalium noui, vis amoris, quo tibi teneor, indicare compellit*.

Bassus honoratâ custodia liburnicis nauibus 16
Hadriam prouectus] Muretus *Acriam*. quod miror.

17 C. XIII. *Sed vbi totis castris in famâ proditio*] Nolim mutari. Vsurpata enim etiam alibi nostro phrasis, *in fama esse*. Supra libr. 11. *Nam etsi vagis adhuc & incertis auctoribus, erat tamen in ore famaq; Vespasianus.*

18 *Vastum primò silentium, mox cuncta simul erumpunt*] Lego *cuncti.*

19 *Et abesse primanos quartadecimanosque. quos tamen iisdem campis illis fuderint strauerintque, vt tot armatorum* &c.] Muret. *iisdem illis campis.* Parum in eo momenti. Plus vt distinctio recta adhibeatur, quæ vulgò pessima. Lege, *quartadecimanosque, quos tamen iisdem campis illis fuderint strauerintque. Vt tot armatorum millia, velut grex venalium, exsuli Antonio donum darentur?* Cum interrogatione inquam efferenda. nec minus etiam illa: *Id Basso, id Cecinna visum*, &c. *partibus viles?* Aliter sententia partim languet, partim & obscura est.

20 pag. 239. c. XV. *Et Britanniâ Galliâq; & Hispaniâ auxilia Vitellius acciuerat, immensam belli luem, ni Antonius idipsum metuens, festinato prœlio victoriam præcepisset*] Lego, *belli molem.* & sic Muretus.

21 *Ipse cum quatuor millibus equitum, ad octauum à Bedriaco progressus, quo licentius popularentur*] Possis & aliter distinguere: *à Bedriaco progressus. Quò licentius popularentur, exploratores, vt mos est, longius curabant.* Sed ego vix probem.

22 C. XVI. *Vt qua cuiq; proximum, omissa præda, prœlio occurrerent*] Siue *accurrerent.*

c.xvii. *Nullum in illa trepidatione Antonius constantis ducis, aut fortissimi militis, officium omisit*] Satis erat, *fortis*. Nec aliter scio, Tacitus. Cur enim non & *constantissimi* ante dixisset, si hîc *fortissimi?* Nimirum syllabæ postremæ *simi*, natæ ex adhæsu sequentis vocis *militis*. 23

c.xviii. *Forte victi, haut perinde rebus prosperis ducem desiderauerant, atque in aduersis deesse intelligebant*] Defectum hîc esse, Lipsius suspicatur. Frustrà. plena & integra omnia, si cum Rodolpho legas *victuri*, sed verò & aliter distinguas, quomodo voluisse Rodolphum, ego non dubito, Lipsium, cui lectio eius nota, idem non animaduertisse miror. Iungendæ primæ hæ voces superioribus, vt sint comprehensionis eius postremæ. Lege: *Sed vbi fortuna contra fuit, non laxare ordines, non recipere turbatos, non obuiam ire, vltroq; aggredi hostem, tantum per spatium cursu & pugnando fessum, forte victuri. Haut perinde rebus prosperis* &c. 24

pag. 240. c. xix. *Posse coloniam plano sitam impetu capi*] Nescio an Muretus audiendus, qui præpositionem addit, *in plano sitam*. Credam consultò à Tacito omissam, vt alias eius generis alibi solet. Infra quidem etiam abest in eâdem phrasi, *Turrim vicino sitam*. Sed & ibi eandem idem inculcat. Hoc quoque libro, *Namq; & Africam, eodem latere sitam, terra mariq; inuadere parabat*. Libr. v tamen hist. legitur, *Castraque in plano sita vi fluminis differebantur*. 25

Quod si lucem opperiantur, iam pacem, iam 26

preces, & pro labore ac vulneribus, clementiam & gloriam inania laturos, sed opes Cremonensium in sinu praefectorum legatorumque fore] Muret. *clementiae gloriam inanem.* Non sequor. Eadem vulgati vis, & frequens Tacito figura haec sermonis ἐν διὰ δυοῖν. *Clementiam & gloriam*, id est, clemẽtiae gloriam. Sic de morib. Germ. *Occidere solent, non disciplina & seueritate, sed impetu & irâ.* Libr. IIII. histor. *Nec perinde periculum aut metus, quam pudor ac dedecus obstupefecerat.* id est, metus periculi & pudor dedecoris. Eodem libro iterum: *Sapientissimum quemque reuerentiâ fideque, iuniores periculo ac metu continuit.* id est, reuerentiâ fidei, & periculi metu. Libr. V. *Terra finesque, quà ad Orientem vergunt, Arabiâ terminantur.*

27 c. XX. *Vt pro virili portione, armis ac manu victoriam iuuerit; ratione & consilio propriis ducis artibus profuturum*] Nescio addendum, an subintelligendum saltẽ, *ita ratione* &c. Clarior sensus sit: sed omittere etiam alibi auctor solet.

28 pag. 241. c. XXII. *Praelium tota nocte varium, anceps, atrox: his, rursus illis, exitiabile*] Muret. *His, rursusq; illis exitiabile.* Ego legam, *his modò, rursus illis exitiabile.* Ea solens Tacito formula. libr. III. *Aderat pugnantibus spectator populus, vtq; in ludicro certamine, hos modò, rursus illos clamore & plausu fouebat.*

29 *Eadem vtráq; acie arma, crebris interrogationibus notum pugnae signum*] Muretus, *Eadem vtraq; acie arma.* Idem vocem *pugnae* delet. At Lipsius

Lipſius ad Annales duplicẽ ait fuiſſe teſſeram: vnam ad excubias, alteram ad pugnam; & ad hanc iſta verba trahit.

c. XXIII. *Et falſo, vt in corpora, ictu, tela hoſtiũ* 30
citra cadebant] Melius fortè, *iactu*.

c. XXIV. *Illic ſigna armaq; veſtra ſunt, & mors* 31
victis. Nam ignominiam conſumpſiſtis] Adfert Lipſius vt ſimile huic Curtianum dictum libr. VI. *Scit eos, qui miſericordiam conſumpſerunt, amplius ſperare non poſſe.* Quod ſimile phraſi quidem, non tamen ſententia, cui propius Terentii illud Hecy. act. II. ſc. I. *Nam de te ſatis ſcio, peccando detrimenti nil fieri poteſt.* Nec abludit Ciceronis illud ad Attic. libr. IV. Epiſtol. XVIII. *Hic Appius erat idem. Nihil ſanè iactura.* Ita enim interpretor: Idem erat Appius, (hominem iſtis epiſtolis ſæpiſſimè notat) qui ſemper, neq; iacturam ſui faciebat vllam. Fortè ſic & Propertius:

Sed de me minor eſt fama iactura pudica.

Gellius certè libr. XIII. cap. XIX. *Nam cum id genus ſis, quod video, vt ſine iactura tui pecces, nihil perdes, vtrum dixeris.* Tacitus hoc ipſo libro non aliter: *Niſi quod neque Antonius, neq; Hormus à fama vitaq; ſua, quamuis peſſimo flagitio, degenerauere.* Denique Val. Maximus libr. IX. cap. II. *Damaſippus nihil laudis habuit, quod corrumperet.*

c. XXV. *Vagus inde, conſilio ducis, ſubditus ru-* 32
mor] Vix eſt, vt probanda Romani codicis lectio, *an conſilio ducis*: etſi Lipſ. quidem probat.

Ego dubito, quia vagum rumorem nescio an fortuitò natum possis dicere.

33 *Postquam pulsos sensit Antonius, denso agmine obturbat*] Nondum sanè *pulsos*. Et Tacitus scilicet sic loqueretur, *sensit pulsos*; potius *vidit*. Lege, *perculsos*. quod res ipsa, & verba antecedentia hæc clarè probant: *Vt quos nullo rectore, suus quemq; impetus vel pauor contraheret, diduceretve.*

34 *Et exsanguem complexus, voce flebili precabatur piatos patris manes, neue se vt parricidam aduersarentur*] Quod vulgò est, *placatos*, magis mihi placet. Muretus audacter nimis, vtroque spreto scribebat, *precabatur patris manes, ne se vt parricidam auersarentur.* Vbi & malè verbum *aduersantur* iterum mutat, de quo initio libri primi diximus. *Precabatur placatos*, id est, precabatur, vt sibi placati essent.

35 *Publicum id facinus: & vnum militem quotam ciuilium armorum partem?*] Vt hæc verba hîc suo loco sint? nunquam credam. Non conuenit stomachatio ista lamentanti & lacrumanti filio: magis militibus, qui cum factum aduertissent, arma ciuilia exsecrabantur. Atq; illud, volente Tacito, retraham: scribamque omnia isto ordine: *Voce flebili precabatur placatos patris manes, neue se vt parricidam aduersarentur. simul attollere corpus, aperire humum, supremo erga parentem officio fungi. Aduertêre proximi, deinde plures. hinc per omnem exercitum miraculum, & questus, & sæuissimi belli exsecratio. Publicum id facinus: & vnum militem*

quotam

quotam ciuilium armorum partem? Nec eò segnius (vel *secius*) *propinquos, affines, fratres trucidatos spoliant. Factum esse scelus loquuntur, faciuntque.*

pag. 242. c. XXIIX. *Multa cum strage incesserat cōtatio, ni duces fesso militi, & velut irritas exhortationes abnuenti Cremonam monstrassent*] Damnat Lipsius *contatio* vocem: & scribit *tentatio*. Ego *contatio* retineam, non tamen vulgari significatu, vt si scribas *cunctatio*, sed pro scrutatione, à *conto*, vel *contari*, pro scrutari. Respicit enim ad ea verba Tacitus, quæ iamiam præmiserat: *Disiectam fluitantemq; testudinem lanceis contisq; scrutantur*. Propriè ergo hîc vsus ea voce: & magis propriè, quam ad finem libri IV. *Qua contatione bellum aduersus patrem cogitauerit, an opes viresq; aduersus fratrem, in incerto fuit.* Sic enim Lipsio ibi placitum emendare pro *cogitatione*, & à *conto* deriuare, tanquam propriam eius vim auctor expresserit. quod secus est tamen. Respexit ibi saltem metaphoræ consuetudine: hîc verè expressit. 36

c. XXIX. *Ipsam postremo balistam in subeuntes propulêre*] Pro voce *balistam* substituit Muret. *molem*. opinor è libro: sed nos non recipimus, tanquam glossam eius, quæ vulgò obtinuit. 37

Is in vallum egressus, deturbatis qui resisterent, conspicuus manu ac voce, capta castra conclamauit] Muret. *restiterant*. Ego & alterum fero. 38

c. XXX. *Ac rursus noua laborum facies*] An non Virgilianũ versum allusit? — *non vlla laborum,* 39

O virgo, noua mi facies, inopinaue surgit.

40 pag. 243. c. XXXI. *Omnisq; ira victoris non in vulgus inops, sed in tribunos centurionesque, vbi pretium cædis erat, reuerteretur*] Scribo cum Mureto *verteretur.*

41 *Orantq;, vt caussæ suæ deprecator assistat.* (tãquam Patronus scilicet.) *Aspernantem tumentemque, lacrymis fatigant extremum malorum: ac fortissimi viri*] Vaticanus *tot*: melius. Sed & aliter distinguenda hæc: *Aspernantem tumentemque lacrymis fatigant. Extremum malorum, tot fortissimi viri proditoris opem inuocantes* &c. Velut exclamatio est. Etiam pro *assistat*, rectius forte legatur *existat.*

42 c. XXXII. *Tempus quoq; mercatus, ditem alioquin coloniam, maiorum opum specie complebat*] Mur. *maiore opũ spec.* vtrumq; probum.

43 c. XXXIII. *Quidam obuia aspernati, verberib. tormentisq; dominorum, abdita scrutari, defossa eruere*] Mur. prȩter rem, *domorũ abdita scrut.*

44 pag. 244. c. XXXIV. *Igitur numero colonorum, opportunitate fluminum, vbere agri annexu, connubiisque gentium adoleuit floruitque*] Distingue: *vbere agri, annexu* (vel *innexu*, quod forte melius) *connubiisq; gent.* Notum è Poëta, *Vber agri.*

45 *Antonius pudore flagitii, crebrescente inuidiâ, edixit, ne quis Cremonenses captiuos detineret*] Vera omnino ista lectio. E vulgato tamen *post rem*, non pessimè possit scribi: *Antonius, postremi flagitii crebrescente inuidiâ. Postremum flagitium*, vt extremum, vltimum, pessimum.

c. xxxvii. *Rossius Regulus iniit, eiurauitque*] 46
Muret. *Rosius.*

c. xxxviii. *Collucere per noctem crebris luminibus animaduertit*] Mur. *aduertit.* 47

pag. 245. c. xli. *Sed Valens, ne in tanto discrimine quidem infamia caruit*] Muret. *ne in tanto quidem discr.* Quasi multum interſit. 48

Pudor tamen, & præſentis ducis reuerētia morabatur, haud diuturna vincula apud auidos periculorum, & decoris ſecuros] Imò *dedecoris.* quod viſum & Mureto reponere. 49

Eo metu, & paucis, quos aduerſa non mutauerant, comitantibus, cohortes Ariminum præmittit. Alam tueri terga iubet. Ipſe flexit in Vmbriam] Muretus & tollit: ſed non ſimul omne loci vitium. Supereſt enim etiamnum fœda traiectio vnius verſus: quem ſuum in locum, à ſententia ducti, ſic reducimus: *Eo metu cohortes Ariminum præmittit, alam tueri terga iubet: ipſe, paucis, quos aduerſa non mutauerant, comitantibus, flexit in Vmbriam, atque inde in Etruriam.* 50

c. xlii. *Is* (Matutus) *Valentem comiter exceptum, ne Galliam Narbonenſem temerè ingrederetur monendo terruit, ſimul ceterorū fides metu intacta*] Spernit Lipſius Palmerii cōiecturam, *metu intuta*, & neſcio quid maioris corruptionis hîc timet. Mihi integra omnia videntur, ſi pro *intacta*, reſcribatur *infracta.* bona & clara ſententia. Valens monitione Maturi territus: ceterorum fides metu infracta eſt. Is metus vnde, ſtatim ſubiicitur: mox deinde 51

trepidi Valentis ad naues reditus, ceterorum nutantium mutantium in partes transitus memoratur. Non multò aliâ sententiâ, legere etiam possis negante particula immissâ: *ceterorum fides metu non intacta.* quomodo & aliàs loquitur lib. 11. *Nec erat intactus tali superstitione* &c. Atq; hoc propè verius arbitrer.

52 pag. 247. c. XLVII. *Classi quoque faces intulit, vacuo mari eludens*] Omnino *illudens* legendum. quod Lipsius ad marginem non malè posse legi ait.

53 c. L. *Ceterum propinquâ hieme, & humentibus Pado campis, expeditum agmen incedere*] Mur. *propinquante.*

54 pag. 248. c. LI. *Distulerant tanquam maiora meritum, quam quæ statim exsoluerent*] Lege, *Distulerunt.*

55 c. LIV. *Perpulit ad vires hostium spectandas, quæque apud Cremonam acta forent, ipse mitteretur*] Muretus, *Perpulit vt ad.* Nihil opus.

56 pag. 249. *Abnuentiq; vera esse quæ referret*] Mur. *adferret.* Neq; hoc opus.

57 c. LV. *Secuta è classicis legio*] Muret. *Secutæ classicæ legiones.* Nescio, an è libris, & historiæ fide.

58 c. LVI. *Concionanti (prodigiosum dictu) tantum fœdarum volucrum superuolitauit, vt nube atra diem obtenderent*] Id verbi è M. S. placitum Lipsio, non *obtunderent.* quod ego Rhenano potius assentiar retinendum. Valet, hebetarét, obscurarent. Ac si *obtenderent*, malis; mutandæ & reliquæ voces, legendumque: *vt nubem*

atram

atram diei obtunderent. quod mihi non adeo probetur.

Profugus altaribus taurus, disiecto sacrificii apparatu, longè nec vbi feriri hostias mos est, confossus] Lipsius ita è Vaticano. rectè. nec malè Muretus, *longè quam vbi feriri.* 59

Nec quidquam nisi iucundum & læsurum acciperet] Siue, *acciperent.* aures nempe. 60

pag. 250. c. LIX. *Vt terrorem Italiæ possessa Meuania, ac velut renatum ex integro bellum intulerat*] Muret. *obsessa.* malè. *Possessa*, est nostro, *occupata.* Sic initio huius libri: *Possessa ipso transitu Vicentia.* Et Meuaniam iam exercitus insederat: quod paullò superius narrauit. 61

Ereptus Samnis, Pelignusque, & Marsi, æmulatione, quòd Campania præuenisset, vt in nouo obsequio ad cuncta belli munia acres erant] Lego: *Erectus Samnis Pelignusque: & Marsi, æmulatione* &c. Ait Samnitas Pelignosq; erecto erga Vespasianum studio fuisse. Quæ interpretatio pendet è præcedentibus verbis: *ita haud dubium erga Flauianas partes studium tam pauidus Vitellii discessus addidit.* 62

c. LX. *Esse adhuc Vitellio vires, ambiguas si deliberarent, acres si desperassent*] Malim, *deliberaret*, itemque, *desperasset.* 63

pag. 251. c. LXI. *Nec vlla apud Vitellianos flagitii pœna: & præmiis defectorum versa fides. ac reliquum perfidiæ certamen, crebra transfugia tribunorum centurionumque*] Delibero an mutem: *Acre igitur perfidiæ certamen: crebra transfug.* 64

65 c. LXII. *Visa cade, in desperationem* (Vitelliani) *versi. & Flauianus exercitus, immane quantum animo exitium Valentis, vt finem belli accepit*]. Nisi me Tacitus fallit, vocula hic excidit. Repono: *& Flau. ex. im. qu. an. auctus. exitiu Val. vt fin. b. accepit.* Vitellianis animus periit, Flauianis creuit. Initio libr. II. *Titus aucto animo ad patrem peruectus.*

66 c. LXIII. *Vitellianus miles transiturus in partes, id quoque non sine dedecore, sed sub signis vexillisque in subiectos Narniæ campos descendere*] Muretus *decore*. Malè. nec sensum cepit, qui iste. Vitelliani quod transituri in partes essent, non sine dedecore erat: sed erat cum maiore, quòd sub signis vexillisque ad deditionem procederent. Aliqua tamen etiam in Mureti lectione sententia sit, si porro mutes, *idque non sine decore, sed sub signis vexillisq;* &c. Verum illa vt acutior, sic verior.

67 *Quibus plerumq; fidere Vitellius, ac de numero seruorum, electione lictorum loqui*] Verè & eleganter Lipsius, *litorum*. nec Muretus tamen prorsus ineptè *locorum*.

68 c. LXV. *Vultus procul visentibus notabantur, Vitellii proiectus & degener, Sabinus non insultans, & miseranti propior*] Fortè, *Sabini*. scilicet vultus. Etsi & illud non malum.

69 pag. 252. c. LXVI. *Vitellii cliens, cum Vitellius colleg a Claudio foret*] Etiam ipse hercle glossulā hæc suspicarer vnà cum Lipsio, nisi orationis structura me teneret, quæ sine illis non plena. Nec sanè Vespasianus Vitellii nunc aut semper

cliens:

cliens: sed olim esse potuit, cum Vitellius pater Claudio collega. Itaq; etiam ad sententiam necessaria hæc additio.

Quin vt censuram patris, vt tres consulatus, vt tot egregia domus honores deceret, desperatione saltem in audaciam accingeretur] Malim, *vt censuram patris, & tres consulatus*. Deinde pro *deceret*, quod sententia nullo modo patitur, omnino cum Rodolpho scribam, *negligeret*. Nec id longius, vt Lipsio visum, à scripto abit. *Degeret* enim quod est in Rom. editione, truncatum ex *neglegeret*: cuius primam syllabam absorpsit postrema vocis præcedentis *honores*. Sententia omnino ista: Si non tot honoribus domus suæ, saltem desperatione instingueretur in audaciam. Sed pro *accingeretur*, possis forte legere *accenderetur*. 70

pag. 253. c. LXIX. *Suos liberos Sabinus, & Domitianum fratris filium, in Capitolium acciuit*] Rectè vidit Lips. glossema esse in *Capitolium*. sed qui minus vidit esse & statim in sequentib. *At Sabinus, misso per neglecta ad Flauianos duces nuntio*. Certè enim & hic vox *Sabinus* à glossographo, quam Tacitus nunquam addidit, cum non de alio, nisi de ipso Sabino sermo præcesserit. Nec particula quidem *At* conuenit; pro qua scribo *Ac*: vt totus locus ita concinnetur: *Vitellianus miles custodiâ secordi clausos circumdedit: eoque concubia nocte suos liberos Sabinus, & Domitianum fratris filium acciuit: ac misso per neglecta ad Flauianos duces nuntio, qui circumsideri ipsos, nisi subueniretur, artas res* 71

nuntiaret; noctem adeo quietam egit, vt digredi (vel *degredi*) *sine noxa potuerit.*

72 C. LXXI. *Erant antiquitus porticus in latere cliui, dextrà subeuntibus*] Lipſ. *dextra* videtur malle. Ego ſcio etiam *dextro* ſcribi poſſe: vt hoc referas ad *latere*, ſicut illud ad *porticus*. ſed neutrum malo: quia vulgatum æque bonum.

73 C. LXXII. *Arſerat & ante Capitolium ciuili bello, ſed fraude priuata. nunc palam obſeſſum, palam incenſum. quibus armorum cauſſis, quo tantæ cladis pretio pro patria bellauimus*] Deponit hunc locum Lipſius, & alii. mihi vix vllus reſtitui facilius poſſe videtur, mutatis ſaltem interpunctis: *quibus armorum cauſſis, quo tantæ cladis pretio? Pro patria bellauimus.* Quærit, quæ armorum cauſſa, quæ tantæ cladis merces? reſpondet, Patria. inuidiosè & acerbè. tanquam vt patria ſeruaretur, arcem patriæ & imperii ſic perire neceſſe fuerit. Ex voce quam libri inſerunt, *ſtetit*, appoſitè *ſcilicet* facias, ſi videatur.

74 pag. 254. *Pulſis regibus, Horatius Puluillus iterum Conſul dedicauit, eâ magnificentiâ, quam immenſa poſtea Pop. Rom. opes ornarent potius, quam augerent*] Eſt qui *onerarent* ſcribi velit. me nolente.

75 C. LXXIII. *Dux ſegnis & veluti captus animi, non linguâ, non auribus competere*] Manifeſtè Salluſtii eſt: *Formidine attonitus, neq; animo, neque auribus, aut lingua competere.*

76 *Quinctium Atticum Conſulem, vmbra honoris & ſua met vanitate monſtratum, quòd edicta*

in

in populum pro Vespasiano magnifica, probrosa aduersus Vitellium iecerat] Insolens mihi phrasis, *edicta in populum iacere*. Fortasse scribi debuit *fecerat*. nisi potius: *quòd edicto in publicum pro Vespas. magn. probrosa adu. Vitell. iecerat*.

Ceteri per varios casus elapsi] Sollicitat hoc 77
quidam, & *astus* corrigere vult. Frustra. *Casus* etiam hîc pro occasionibus, vt alibi monstrauimus.

C. LXXIV. *Lineo amictu turba sacricolarum* 78
immixtus ignarusq; apud Cornelium Primum paternum clientem delituit] Lipsius è Vaticano *ignarus* scripsit, magis germanum ratus vulgato, *ignoratus*. Falsò. Multo hîc aptius hoc. Etenim *ignarus* quid sonat nisi *ignotus*? At *ignoratus* multo aliud. & semper, ubi fallendi res, hoc Tacitus vtitur. Supra hoc libro *Ni duo milites praeclarum facinus ausi, arreptis è strage scutis ignorati vincla ac libramenta tormentorum abscidissent*. Libr. IV. *Nisi seruili habitu, per tenebras, ignoratus euasisset*.


pag. 257. C. LXXXIII. *Nec tunc minus* 79
crudelitatis. Nunc inhumana securitas, & ne minimo quidem temporis, voluptates intermissa, velut festis diebus id quoque gaudium accederet, exsultabant. nulla partium cura, malis publicis laeti] Intricatus & ineptus verborum sensus. Emendo distinguoque: *voluptates intermissæ. velut festis diebus, id quoque gaudium excederet, exsultabant, nulla partium cura* &c: Verba, *id quoque gaudium excederet*,

ſic quaſi παρενθετικῶς interiiciuntur: vt in illo ſuperius loco: *Vitellianus miles tranſiturus in partes, id quoque non ſine dedecore, ſed ſub ſignis vexilliſque in ſubiectos Narniæ campos deſcendere.* Innuit, ſi feſtis diebus ita exſultaſſent, nimium id gaudium fuiſſe, quo tum miſerrimo Reipubl. tempore efferebantur. Verbi *fruebantur*, quod alii libri inſerunt, nullam habui rationem, nec cenſeo habendam. Nec quod Lipſius *furebantq;* inde facit, placet. Quamquam poſſim non incommodè traducere, *nullâ partium curâ, malis publicis læti fruebantur.* Sed omitti, melius.

80 C. LXXXIV. *Domos araſque cruore fœdare, ſuprema victis ſolatia complectebantur*] Muretus *araſq; cruore fœdas, ſuprema victis ſolatia, complectebantur.* bona equidem ſententia: ſed vereor vt huic loco apta.

81 C. LXXXVI. *Amicitias dum magnitudine munerum, non conſtantiâ morum continere putat, meruit magis quam habuit*] Forte *contineri.*

IN HISTORIARVM LIB. IV.



Pag. 259. c. II. *L. Vitellius interficitur, par vitiis fratris, in principatu eius vigilantior, nec perinde prosperis socius, quàm aduersis abstractus*] Non id concoquo. Abstractus siue disiunctus à fratre Vitellius aduersis? Coniunctus imò, vt res loquitur. Vereor, vt vox *abstractus* sincera: quæ ineleganter etiam opponitur alteri *socius*. sententia quidem sic absque ea plena, sed diuersa, & quam ego Taciti esse affirmarim: *Nec proinde prosperis socius, quam aduersis*. Ita n. est, magis aduersa eadē experibatur, quàm prosperis erat fruitus. Sed quid reliquo igitur vocabulo fiet? nescio: nisi quia Muret. video, nescio vnde, lectionē auctiorem notasse, *in Gemonias tractus*. Quā ego ad sensum aptissimā, nec credo preter historiā, vehemēter amplectar. *In Gemonias abstractus*, itē vt frater, aduersis eius magis erat socius quā pſperis fuerat. 1

c. III. *Ceterū vt princeps loquebatur, ciuilia de se, & Rep. egregia*] Mur. *ciuil. de se, de rep. egregia.* 2

pag. 262. c. XV. *Statimq́; accitis Frisiis (transrhenana gens est) duarū cohortiū hiberna, proximo occupato Oceano irrumpit*] Non inuitus cum Lipsio legerim, *hiberna proxima occupatu, Oceano irrumpit*: sed aliquanto libentius, additâ particulâ: *hiberna, quà pxima occupatu, Oceano irrūpit*. aptiore sentētia. Quà proximè occupari 3

poterant, per Oceanum irrumpit. Sed & verbum *accitis* mihi ſuſpectum. imperioſum enim illud: nec obnoxii credo Friſii Caninefatibus. *adſcitis* ſubſtituerim: vt adiunctos & ſociatos dicat.

4 pag. 263. c. XVII. *Libertatem naturâ, etiam mutis animalibus datam: virtutem proprium hominis bonum*] Non muto vocem *mutis*: ſed ſuſpicione *urutis* in libris ſcriptis fuiſſe coniicio, vnde *mutis* exſcriptum, cum debuerit fortè *brutis*.

5 pag. 264. c. XX. *Illi veteris militiæ memores in cuneis congregantur, denſi vndique, & frontem tergaque ac latus tuti*] Lego, *in cuneos*.

6 c. XXII. *Ciuilis medium agmen cum robore Batauorum obtinens, vtramque Rheni ripam, quo truculentior viſu foret, Germanorum catervis complet*] Non delenda vox *vtramque* (deleri & Muretus voluit) ſed reſcribenda *vtrimque*. quod *vtrimque* Lipſius ambiguè cenſuit, ſed ambigendi nulla cauſſa. Ab vtroque latere ſtatuerat ſibi Germanos, & id iuxta omnem iſtam Rheni ripam: ipſe cum Batauis in medio.

7 pag. 265. c. XXIV. *Quin potius interfecto traditore fortunam, virtutemque ſuam malo omine exſoluerent*] Video hic corruptorem Italum, & fæcem patrii ſermonis. Latinius enim certè Tacitus *proditore* ſcripſerit. Eſt etiam qui *nomine* hic mutare velit, ob verbum *exſoluerent* quod ſequitur. Atqui ego vel propter hoc ipſum nolim. *Nomen* enim *exſoluere*, non *ſe nomine*, Latinè.

tine. Ceterum ſententia nequaquam mutationem patitur. Hortabatur liberarent ſe malo iſto omine, quo dux ſibi inualidus, ægrotus, & è lectulo imperium perhiberet. Nam id præceſſerat: *Tot armatas fortiſſimorum virorum manus, vnius ſenis valetudine regi.*

His inter ſe vocibus inſiſtentes flammauere inſuper allatæ à Veſpaſiano litteræ.] Quando in aliis libris *inſtinctos*, ſuſpicari ſit, à Tacito ſcriptum *inſtinguentes*. 8

c. XXV. *Inſtituitq; peſſimum facinus, vt epiſtolæ Aquiliferis legionum traderentur, à queis ante militi, quam ducibus legebantur*] Noli mutare *leguntur* cum Lipſio. Id innuit, Hordeonium auctorem eius moris, qui ſemper obtinuerit, quod minimè profecto verum. Et inſtituebat ille ſaltem pro tempore, ſui purgandi & extra omnem ſuſpicionem ponendi. Induxit Lipſium, vt hoc ſuſpicaretur, locutio, *inſtituit facinus.* At enim verba non ſic iungenda: ſed ſeparatim capienda illa, *peſſimum facinus*, tanquam interiectio quæ Parentheſeos nota circumſcribatur. Quod Tacito non inſolens. Iuſta hoc libro: *Illuc commeantium centurionum, militumq; emebantur animi: vt (flagitium incognitum) Romanus exercitus in externa verba iurarent.* 9

c. XXVIII. *At Ciuilem immenſium vniuerſa Germania extollebat, ſocietate nobiliſſimis [illegible] ſitum ſi ma[illegible]*] Coniecturam in textum hic tranſtulit Lipſius vti certam, de qua ipſe [illegible] dubius. fatetur enim, etſi in Vaticano [illegible] 10

rum vocum, quæ in aliis libris aliæ atque aliæ, spatium tamen vnius cuiuscunque. Itaque ad quærendam eam suspicione nititur. quâ nihil hic opus. In promptu enim vera lectio Couarruuiani libri, *immensis auctibus*. quemadmodũ & Velleius lib. II. ait: *Huius viri (* Pompeii*) fastigium tantis auctibus fortuna extulit, vt primũ ex Africa, iterum ex Europa, tertiò ex Asia triumpharet*. Neque enim id Tacitus ait, Germaniam totam celebrasse Ciuilem, & nomen eius famamq; extulisse: sed immensis viribus ipsum auxisse, societate, vt addit, initâ, & obsidibus firmatâ. Sic infra hoc libro, *Ciuilis societate Agrippinensium auctus, proximas ciuitates adfectare.*

11 *Ille, vt cuique proximum, vastari Vbios, Treuerosque, & aliâ manu Mosam amnem transire iubet*] Lego, *transiri*.

12 *Acta vtrobiq; præda, infestius in Vbiis, quos genus Germanicæ originis eiuratâ patriâ, Romanorum nomine Agrippinenses vocarent*] Lipsius, *Romano*: idem ex aliis libris, *quod gens Germanicæ &c. vocarentur*. Priora verè: hoc non item. Taciti ipsa lectio est: *quod gens Germanicæ originis eiuratâ patriâ Romano nomine Agrippinenses se vocarent*. Vocula *se* vt perierit, pereat si quis non videt.

13 c. XXIX. *Vnde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere arcus*]. Meritò de voce *arcus* dubitatum à Lipsio: non tamen satis appositè emendatum *artus*. Scribe, *iactus*.

Vnde

Vnde clamor, eò telorum iactus dirigebant. hoc vocat *tendere* siue *intendere iactum* Atque hinc subiectum statim: *Ignauorum sæpè telis fortissimi cadere.*

pag. 267. c. XXXIII. *Eques prorupit, exceptusq; compositis hostium ordinibus, terga in suos vertit*] Contra rationem videtur, vt terga in suos verterint. Itaque Muretus eas voculas *in suos* delebat. Mihi tamen commoda interpretatione flectenda sic potius videntur, vt velint, terga dedisse equitem, & ad suos refugisse, terga vertisse & in suos fugam intendisse. 14

pag. 269. cap. XXXV. *Primum agmen securum incessit, nondum satis firmo Ciuile. qui reuersus missos Nouesium frumentatores &c. accepit*] Lipsius è quibusdam libris eruit, *qui ubi rursus missos.* Sanè in quibusdam *rursus*: at *τοῦ ubi* nulla vsquā vestigia, nisi in ipso *qui*, quod mutari in *vbi* debet, non & ipsum retineri. Dele igitur. Nam & sonus concurrentium vocum aliàs asper: & Tacitus relatiua huius generis, vbi omitti possunt, non inculcat. 15

c. XXXVI. *Et aduentu quintanorum quintadecimanorumque aucta legiones donatiuum reposcunt*] At paullò ante quintanos & quartadecimanos Voculæ exercitui iunctos aiebat: *Addit exercitui suo Vocula mille delectos è quinta & quartadecimâ legionibus apud Vetera obsessis.* Manifestè alteruter locus vitiosus, & ex altero corrigendus, vter & ex vtro, non claret. 16

17 pag. 269. c. XXXVII. *Ita dispersos & nescios miles noster inuaserat*] Deesse olim quædam putauit Lipsius: post restituere sibi visus est posse hoc modo: *nec incruenti. In via dispersos* &c. Longè fallitur. Narratio incongrua arguit & ante hæc deesse verba non pauca (vti & corrupta præcedentium vltima) & post hæc ipsa multò plura. Nam illa, *Quin & loricam vallumque*, sententiâ nullâ cum his cohærent, sed alia, quæ præcessisse necesse est, de fide, industria & fortitudine Treuerorum, respiciunt.

18 c. XXXIX. *Eius nomen epistolis edictisque proponebatur, vis penes Mucianum*] Mur. *praeponebatur*, veriùs.

19 pag. 270. c. XLII. *Sponte ex S. C. accusationē subiisse iuuenis admodum, nec depellendi periculi, sed in spem potentiæ videbatur*] Pugnam sententiæ Rhenanus *sponte ex se*, Lipsius *sponte & inconsulto*, nituntur abolere: sed hic à scripturę vestigiis longè nimis abit: ille à Taciti dictione. Nunquam enim noster duo iunxerit, quorum alterum satis erat. Possis facillimè emendare insertione particulæ negantis: *Sponte, non ex S. C.* nisi quod mihi structura orationis aliam planè harum vocum sedem & originem requirere videtur. Lego, *Regulum subuersa Crassorū & Orphiti domus, in summū odium extulerat. Accusationem subiisse iuuenis admodum, non ex S. C. sed sponte; nec depellendi periculi, sed in spem potentiæ videbatur*. Nihil quidem ita sententia pariter & oratione planius pleniusque.

Te

Te ſecurum reliquerat exſul pater, & diuiſa 20
inter creditores bona, nondum honorum capax æ-
tas: nihil quod ex te &c.] Sic diſtingue: *creditores*
bona. Nondum honorum capax ætas: nihil quod
ex te concupiſceret Nero, nihil quod timeret.

Paullò ante: *Nec dignitatem aut ſalutem illâ* 21
ſcientiâ redemiſti. Muretus, *iſtâ.*

Inuenit etiam æmulos infelix nequitia. quid ſi 22
floreat vigeatque] Generalis eſt ſententia, non
ad Regulū ſolum reſtricta, etſi ad ipſum hîc re-
lata. Itaq; non præterito tempore, ſed præſenti
accipiam verbum *inuenit*, & particulam *etiā*
ſequenti voci poſtponam. Lege: *inuenit æmulos*
etiam infelix nequitia.

pag. 271. c. XLVI. *Prætorianam militiam* 23
repetebant à Vitellio dimiſſi, pro Veſpaſiano con-
gregati, & lectus in eandem ſpem è legionibus mi-
les, promiſſa ſtipendia flagitabat] Mur. *erectus in*
eandem ſpem. quod ſententiam corrumpit. Mi-
les quia in ſpem prætorianæ militię lectus erat,
repetentibus eam aliis, promiſſam ſibi flagita-
bat.

Prenſare commanipularium pectora, ceruici- 24
bus innecti, ſuprema oſcula petere] Ita viſum Li-
pſio planè legendum, atque ita excudit. quid
tamen eſt, *prenſare pectora?* inuſitata locutio,
abſurda ſententia. quod idem intellexiſſe po-
ſtea videtur, cùm velut priori emendationi dif-
fidens, non malè etiam ſcribi poſſe, *prenſare*
commanipulares, pectori, ceruicibus innecti.
Peius hoc multò quam prius. Nam præterquā,
quod nec *pectori innecti* rectè dixeris, inæqua-

lis etiam structura redditur. At tu pro *pectora* rescribe minima facillimaq; mutatione *dexteras.* Sic sibi conueniunt omnia, quà in sensu, quà in sermone: *Prensare commanipularium dexteras, ceruicib. innecti, suprema oscula petere.*

25 pag. 272. c. XLVIII. *Ea de cadē quàm verissimè expediam, si pauca supra petiero*] Mur. *repetiero.* Melius. sed cur hîc auctor veritatis studiū testatur? tanquā minus verè alia tradiderit. Videatur vocula excidisse: *quàm potero verissimè expediā.* vt tanquā in re incerta secuturū se verum, quà possit, profiteatur. Sed credo nō *verissimè* hîc Tacito scriptū, sed *breuissimè.* quod postea corruptū ex vitiosa scribēdi ratione *vreuissimè.* Nam hęc auctoris mens, quasi veniam digressus aliquantò longioris orantis: cum alia quædam huc facientia altiusculè repetierit, dè cæde ipsa quam breuissimè se absoluturum.

26 c. XLIX. *Ostentabant Pisoni nutantes Gallias, paratam Germaniam, pericula ipsius, & in pace suspecta tutius bellum*] Mur. *in* tollit, ego possim etiam hîc ferre.

27 *Magna voce, læta Pisoni omnia tanquā Principi continuare*] Lego *omina.* quod miror tot locis nondum etiam hîc emendatum.

28 pag. 273. c. LIII. *Ingressi milites, quibus fausta nomina, felicib. ramis*] Non hęc à superioribus puncto diuellēda fuerant. Tu iunge: *euinctum vittis coronisq; ingressi milites* &c. Continua n. oratio inde ab illis, *vndecimo Kal. Iul.* ad verbum *perluere* decurrit, in eoque comprehensio & sensus ipse sistitur.

c. LIV.

c.LIV. *Nam Ciuilis omissa dissimulatione in po-* 29
pulū Romanum ruere Vitelliana legiones, exter-
num seruitiū quam imperatorē Vespasianū malle]
Operarū credo typographicarū obliuione sal-
tem factum, vt post verbum *ruere* distinctionis
nulla nota posita sit. intersere igitur punctum.

pag. 274. c.LVI. *Et furtim magis, quam bello* 30
Caninefates Marsacosq; incursabat] Mur. *Mar-*
saticosq; forsan & legendum *furto*.

c.LVII. *Sic olim Sacrouirum, & Aeduos, nuper* 31
Vindicem Galliasq; singulis prœliis concidisse. Ea-
dem rursus numina, eadem fata, (dele,) *ruptores*
fœderum exspectarent] Malo *exspectare*, eâdem
sententiâ, sed meliori phrasi. Qui *exspectandi*
verbum in hoc vsu non nouerant, mutarunt.

pag. 275. c.LVIII. *Mortemq; in tot malis ho-* 32
stium, vt finē miseriarum exspecto] Quicquid de
retinenda aut mutanda voce *hostium* Lipſ. affe-
rat: mihi delenda planè videtur.

Adeò nos, si fortuna in præsens virtusq; dese- 33
ruit, etiā vetera exempla deficiūt] Interrogatio-
ne hęc inspiranda, languentia aliàs ac iacentia.

c.LIX. *Occisis Magontiaci tribunis, pulso ca-* 34
strorū prefecto, qui detrectauerant, Classicus cor-
ruptissimum quemq; è deditis pergere ad obsessos
iubet, veniam ostentantes, si præsentia sequeren-
tur] Vide ne melius sit priora horum cum præ-
cedentibus necti, atque ita distingui: *Tutor*
valida manu circumdatos Agrippinenses, quan-
tumque militum apud superiorem Rheni ripam,
in eadē verba adigit, occisis Magontiaci tribunis,
pulso castrorū prefecto, qui detrectauerant. Classi-
cus corruptissimum quemque &c. Hæc quidem

distinctio melius omnino quadrat ad illa: *Diuisa inde inter Tutore & Classicum cura.* Etiam textus sermonis huc magis inclinat.

35 pag. 276. c. LXI. *Ciuilis barbaro voto propexum rutilatumq; crinem, patrata demum legionum cade deposuit*] Notat Lipsius exempla quędam in barbaris. At Cęsar ipse vsurpauit quoque narrante Suetonio: *Diligebat quoque vsq; adeo* (milites.) *vt audita clade Titurianâ, barbam capillumque submiserit, nec ante demserit, quam vindicasset.* Sed ab alia hoc consuetudine: qua in luctu squallorem omnis generis affectabant. Sic & Augustus apud eundem c. XXIII.

36 *Vetere apud Germanos more, quo plerasq; feminarum fatidicas, & augescente superstitione arbitrentur Deas*] Muretus *arbitrantur.* Lib. de moribus Germanorum Tacitus: *Vidimus sub Diuo Vespasiano Velledam, diu apud plerosq; numinis loco habitam. Sed & olim Auriniam, & complures alias venerati sunt, non adm iratione, nec tanquam facerent Deas.*

37 pag. 277. c. LXIV. *Instituta cultumq; patriū resumite, abreptis voluptatibus, quibus Romani plus aduersus subiectos, quam armis valent*] Non arguta magis quàm vera lectio: quam cum eleganter Lipsius explicarit, dubitat tamen an rectè reposuerit *voluptatibus*, pro quo veteres editiones *vectigalibus*. quia ipsum stabilire videatur responsio Vbiorum ad hanc orationis partem: *Vectigal & onera commerciorum resoluimus.* Fallitur: nam non ista respiciunt hanc

oratio-

orationis partem, ſed ſuperiorem illam: *Inermes ac propè nudi, ſub cuſtode & pretio coiremus.* Nam vectigal & onera commerciorum hi vocant, quod illi pretium dixerant. Et huic parti reſponderi, quæ ſubiunguntur manifeſtius euincunt: *Vectigal & onera commerciorum reſoluimus: ſint tranſitus incuſtoditi, ſed diurni & inermes.* Itaque per hanc quidem cauſſam firma & immota illa correctio. de qua dubitari poſthac à nemine debet.

pag. 278. c. LXVIII. *At Romæ cuncta in deterius audita Mutianum angebant. Nequaquam egregii duces, iam enim Gallum Annium & Petilium Cerialem delegerat, ſummam belli parum tolerare*] Non tollit certè corruptionẽ Lipſius, quod ipſe veretur, legendo, *Et quanquam egregii* &c. *ſummam belli parum tolerare*: ſiue *tolerabant.* Nec felicius Muretus: *Nec quanquam egr.* & *ſumma belli poterant tolerare.* Nos ſperamus reſtituiſſe: *angebant, ne quamquam eg. d. iam enim G. A. & P. Cer. delegerat, ſummam belli parum tolerarent. Nec relinquenda vrbs ſine rectore: & Domitiani indomita libidines timebantur.* 38

c. LXX. *Qui primò cohortem, præmiſſam à Sextilio Felice, interficiunt. mox vbi duces exercitusq́ Romani propinquabant, honeſto transfugio rediere*] Iacet nimis illud *rediere.* Mihi ſententia ſuadet ſcribere, *redemêre.* Honeſto transfugio redimebant ſcelus interfectæ cohortis. 39

pag. 279. c. LXXII. *Abditi per tentoria, &* 40

lucem ipsam vitantes. nec perinde periculum aut metus, quàm pudor ac dedecus obstupefecerat: attonitis etiam victoribus, qui vocem precesque adhibere non ausi, lacrymis ac silentio veniam poscebant] Indecorum hoc & inconueniens, vt victores lacrimis silentioque veniam aliis petierint. Nec scripsit aut sensit hoc Tacitus: sed contrà de ipsis legionibus dedititiis. Itaque vnam litterulam addo saltem, quæ sensum planè mutet in diuersum, legoque *quia*, non *qui*. Muretus *qui* ipsum deletum ibat: quod ad sensum æque bonum, ad sermonis textum minus. Et facilius est vnam litterulam periisse, quàm tres omnino temerè natas.

41 pag. 280. c. LXXV. *Ad ea Cerealis Ciuili & Classico nihil. eum qui attulerat ipsas epistolas, ad Domitianum misit*] Lego, *eum qui attulerat, ipsasq; epistolas ad Dom. misit.*

42 pag. 281. c. LXXX. *Neque ipse deerat arrogantiâ vocare offensas, nimius commemorandis quæ meruisset*] Scribimusne *prouocare*, an pro hoc illud capiemus?

43 c. LXXXI. *Per eos menses, quibus Vespasianus Alexandriæ statos æstiuis flatibus dies, & certa maris opperiebatur, multa miracula euenêre*] Audet mutare Lipsius, *statos Etesiarum flatibus*. Ego magis fidenter pro *æstiuis*, saltem *Etesiis*, minore mutatione ac penè nulla. *Etesii flatus*, vt Lucretius *Etesia flabra*, lib. VI.

Aut quia sunt æstate Aquilones ostia contra
Anni tempore eo, quo Etesia flabra feruntur.

Dubium mihi tamen & ignotum, cur Vespasianus

hus *Etesias* Alexandriæ nunc opperiatur. Festinabat ipse in Italiã transmittere quamprimum: at hæ Italiam adnauigaturis non propitiæ, sed aduersæ.

IN HISTORIARVM LIB. V.



Ag. 284. c. 1. *Cæsar Titus perdomandæ Iudææ delectus à patre (etiam) & priuatis vtriusque rebus militia clarus, maiore tum vi famaq́ agebat*] Quidquid dissentiant libri aut varient, proba lectio, proba sententia. Verbis iisdem eodẽ sensu vtitur & lib. III. *Namq́ Flauius Sabinus ætate prior, priuatis vtriusque rebus, auctoritate pecuniaq́ Vespasianũ anteibat.* Hoc firmandũ duxi, ne quis Lipsii exẽplo, qui elicere tamẽ, etsi intẽtus, nihil potuit, exsculpere aliud quid conetur. 1

Atq́ ipse, vt superior sui iam crederetur, decorũ se promptumq́ in armis ostendebat, comitate & alloquiis officia prouocans &c.] Triumphat in emendatione Lipsius, *vt super fortunam crederetur*: nec ego impedio. Defendere tamen vulgatam scripturam, ne triumphetur, possim. Nam *superior sui* constructione Græcanica poni potuit à Tacito pro *superior se.* quæ multò sententia loco aptior est: Titus etiam priuatus bello clarus, nunc promtiorem in armis se ostendebat, vt superasse iam se ipsum videretur. Insolentia saltem locutionis offendit; 2

non me quidem, sed qui sic quoque alios locutos esse nesciunt: vbi scierint, fortè offendentur nec ipsi. Apuleii exemplum nunc memini, lib. IX. Metamorph. *Furiosus latro, rapto gladio, suâ miserrimum iuuenem manu peremturus, inuadit auidus: nec tamen sui molliorem prouocauerat* &c. id est, se imbecilliorem, inferiorē. & Sidonius Apoll. Epithal. *Qua socer Omatus maiorū maior auorum* &c. Si tamen mutare lubeat, mihi sic placeat potius: *vt par orsui iā crederetur.* proximè ad vulgatam lectionem, nisi quod syllaba *su* omissa. Et sanè tale quid videtur velle dicere auctor, Vt cœpto huic, tātæ rei moli par haberetur. atque illuc potius omnia faciunt, quę illum ait facere, quàm vt super fortunam videri possit. Omitto, quod Tacitus parem potius fortunę, quam super eam; nec vniuersim fortunam, sed clarius & restrictius talem aut talem dicturus fuerat.

3 c. II. *Parte Ægypti potitos, ac mox proprias vrbes Hebræasq; terras & propiora Syriæ coluisse*] Mur. *ac* delet.

4 c. III. *Ceteris per lacrumas torpentibus, Mosen vnum exsulum monuisse, ne quam hominum Deorumve opem exspectarent, ab vtrisq; deserti, sed sibimet vt duci cœlesti crederent; primò cuius auxilio credentes, præsentes miserias pepulissent*] Meritò suspectus & certè parum cohærens locus: cui non multo melius factum Lipsii quoque medicina, qui vocem *credentes* eiiciendam, & hoc ipsum ambiguè & contanter, censet. De eiicienda quidem illâ nihil ego contor aut ambigo:

bigo: sed sententia quæ remaneat, nisi ineptissima & absurdissima, non video. Ait, primò eiusdem Mosæ auxilio miserias pepulisse. quando ante hoc factum? Et quid est quod dicit *primò?* nempe ratio Latinitatis postulasset *pridem*, vel quid simile aliud. Illud autem nimis contra omnem rationem, quod præsentes miserias iam pepulisse dicuntur. Si pepulerant, certè præsentes non erant: quæ præsentes sunt, pulsæ nō fuerunt. Sed concinnabis omnia vnius litterulæ mutatione: *prius cuius auxilio præsentes miserias pepulissent.* Vox *prius* rarioris vsus turbas has omnes dederat. nam *pepulissent*, non hoc loco præteriti significatione est, sed futuri, quomodo id tempus pro hoc sæpè aliàs vsurpari exemplis notum est: quæ ad Val. Max. lib. v. cap. III. pluscula notaui. Sententia igitur apta & clara nunc est: Destituti à Diis hominibusq; nullam aliunde opem sperarent, quam à se vno, cuius vnico auxilio pulsuri præsentes essent miserias.

pag. 285. c. IV. *Profana illic omnia, quæ apud nos sacra*] Lego, *illis.* ita postulant, quæ sequuntur: *Rursum concessa apud illos, quæ nobis incesta.* 5

Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimq; depulerant, penetrali sacrauêre] Suspecta mihi vox *errorem.* Non enim certè pecus hoc viæ, saltem aquæ velut index illis. est qui velit legere *arorem*, vel *ægrorem.* 6

c. v. *Vnde aucta Iudæorum res: & quia apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, sed* 7

aduersus omnes alios hostile odium] Rectè, neq muto, quod quidam è meis: *vnde aucta Iudaeorum res. Atq, vt ap. ips. f. obstinata, misericordia in promtu, sic aduersus omnes alios hostile odium.*

8 *Augenda tamen multitudini consulitur. nam & necare quenquam ex agnatis nefas*] Caue aut hic, aut altero isto in de moribus Germaniæ loco, mutes cum Lipsio vocem *agnatis*: quę vtrobique non nomen auctori, quod Grammatici vocant, sed participiũ. Ait, dare Iudæos semper operam augendis liberis, neq; fas habere quenquam ex iis necare, qui iam sibi sint adnati. Id clarissimum ex gemino altero loco: *Numerum liberorum finire, aut quenquam ex agnatis necare nefas habetur.* Vbi si *gnatis* reponas, sermonẽ deuenustes. Quid n. incõcinnius hac ταυτολογία, Finire numerũ liberorũ, aut ex liberis quenquã necare? Omnino *agnati*, valet, iam nati, ab *adnascor*. Quod postea ipse vidit in Notis ad Germaniã, & tamen *natis* maluit etiã tũ immutari.

9 *Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sunt*] Est qui *suis* deleat, timens Tacito Orbilium aliquem, qui *illorum* vel *ipsorum* dicendum fuisse contendat. Ego relinquo, & satis commodè accipio.

10 pag. 186. c. VIII. *Hierosolyma genti caput. Illic immensa opulentia templum, & primis munimentis vrbs deingis, templum intimis clausum. ad fores tantum Iudaeo aditus: limine praeter sacerdotes, arcebantur*] Locus miserè fractus, & in quo restituendo multi sunt connisi: sed omnes mea sententia, adhuc frustrà. Nec ego me spero

spero persanaturum, confido tamen ita, vt ad sanitatem integram minimum desit. Lego: *Illic immensæ opulentiæ templum, & è primis monumentis vrbis, Dei iussis, templum intimius clausum. ad fores* &c. Scripsi, *e primis monumentis vrbis*, verè. Nec enim munimēta vel regiæ, vel templi ipsius hic describere auctor vult, quę describit ordine ac prolixè infrà; nec interrumpi de templo sermo debet, ac interiici quid alienum. *Dei iussis* ex vulgato *deiugis* feci, mutatione valde procliui: nec tamen affirmare, Taciti illud, ausim. E multis aliis coniecturis hanc maximè probaui, quæ videretur maximè probabilis. Illa tamen non etiam fortè spernēda, qua ex Vaticano *ob demgia*, cōtinuabam *ob Dei initia*. Deniq; *intimius* additione litterulæ facillimè emendatum, pro quo alii *interius*, alii *intimum* fecere, aut ipsum etiā planè eiecēre. Malè hi omnes. Necessariū tale quid verbi, nec quidquam apertius hoc isto, quod ab *intimum* eo flexu formatum, quo *proximius* à *proximum* & similia in eandem formam. *Intimius* vsurpauit ipse Cicero VI. de Repub. *Et mundi vastitatem intimius perspicere possemus*. Ceterum non silebo, posse vtcunq; etiam ipsam vulgatam lectionem planè retineri, atq; ab obstinatiore aliquo sic defendi: vt Tacitus dicat, primis munimentis vrbem deiugē clausam esse, intimis templū. Ac *deiugem vrbē* vocabulo nouo, tamē significanti satis vocari, quia talis eius situs, vt ex inferiore descriptione colligitur. Sic aliquis, inquā, possit contra tendere: sed qui cor habent, non eum audient.

11 pag. 287. c. x. *Pace per Italiam partâ & externa cura rediere*] Delenda prorsus & copula. vel reiicienda ad sequentia: *Et augebat iras, quod soli Iudæi non cessissent.*

12 pag. 288. c. xvi. *Cerialis veterem Rom. nominis gloriam, antiquas recentesq́, victorias: vt perfidum, ignauum, victum hostem, in æternum exscinderent. Vltione magis quàm prœlio opus esse*] Alia distinctione opus est: *victorias. vt perfidum, ig. v. h. i. æ. exscinderent, vltione magis q. pr. op. esse.*

13 *Pauciores nuper cum pluribus certasse: attamen fusos Germanos*] Mur. *ac tamen.*

14 c. xvii. *Nec Ciuilis silentem struxit aciem, locum pugnæ testem virtutis ciens*] Lips. *silens* aut *silenter*. Muretus *silentio*. Omnia rectè: postremum ego tamen præferam.

15 *Quocunq, oculos Romanus intenderet, captiuitatem clademq, & dira omnia aduersari*] Quid si & hic *omina* legatur?

16 *Ne terrerentur vario Treuerici prœlii euentu: suam illic victoriam Germanis obstitisse, dum omissis telis, præda manus impediunt*] Vat. *materiam*. Omninò *auaritiam* scribendũ. Lips. sub Vaticani scriptura aliud verbi latere, sed in eundem sensum putauit.

17 *Neque nostro milite paludem ingrediente, & Germanis, vt elicerent, lacessentibus*] Non eleganter coniungi Mureto visa verba *elicerent* & *lacessentibus*: nec tamẽ melius, quod pro altero substituit, *vt eluderent, lacessentibus*. Ego nihil muto.

pag.

pag. 289. c. xx. *Egressum militem, & caden-* 18
dis materiis operatum turbauere] Mur. mutat.
occupatum. non ego cum illo.

c. XXII. *Vtq; ad fallendum silentio, ita cœpta* 19
cæde, & quo plus terroris adderent, cuncta clamo-
ribus miscebant] Eradendum *et*, quod nulli vsui
Muretus etiam viderat.

pag. 290. c. xxv. *Si Vespasiano bellum naua-* 20
uerint, Vespasianum rerum potiri] Rarior hic v-
sus verbi *nauare*. Sed Tacito celebratus etiam
supra lib. IV. *Ceteros, vt quisq; flagitium naua-*
uerat, attollit. Cic. etiam credo in epist. alicubi
beneuolentiam nauare.

Sibi non tributa, sed virtutes & viros indici] 21
Probat Lips. Rhenani correctionem, *sed iu-*
uentutem & viros, quanquam & vulgatam non
prorsus improbat. Ego hæreo, an non potius
Muretum audiam eiicientem binas istas vocu-
las *virtutes &*. Li. IV. de iisdem Batauis: *nec opi-*
bus Romanis, societate validiorum attriti, viros
tantum armaq; imperio ministrant. De iisdem
idem libello de moribus Germ. *Exemti oneri-*
bus & collationibus, & tantum in vsum prælio-
rum sepositi, velut tela, atque arma bellis reser-
uantur.

c. XXVI. *Non fefellit Ciuilem ea inclinatio, &* 22
præuenire statuit. Super tædium malorum etiam
spe vitæ, quæ plerumq; magnos animos infringit]
Manifesta hic, sed leuis traiectio. Nam *etiam*
illud, quo nunc loco est, necessarium non est:
nec solet Tacitus particulæ *super* alteram hanc
subiungere. idemque requiritur in postremis

verbis, quorum alias liberior & laxior est sententia, quàm pro vero. Lege ergo: *super tadium malorum, spe vita, qua plerumq; etiam magnos animos infringit.* Sed quid dico non solere Tacitum particulis hisce ita vti? imò solet. exẽplo Annal. XIII. de Corbulone, *verbis magnificus, & super experientiam sapientiamq;, etiam specie inanium validus.*

23 *Hoc Primo Antonio notum, cuius epistolis ad bellum accitus sum, ne Germanica legiones & Gallica iuuentus alpes transcenderet. Qua Antonius absens, Flaccus prasens mouebat, arma in Germania moui, qua Mucianus in Syria, Aponius in Mœsia, Fabianus* (Lips. rectè *Flauianus*) *in Pannonia*] Hæc obscuræ & ineptæ sunt sententiæ: præter id, malè sequentibus hærent. Emendo ego & distinguo: *Qua Antonius absens, Flaccus prasens monebat. Arma in Germania moui, qua Muc.* &c. Ita est: Antonius litteris ipsum monuerat, atque eadem coràm Flaccus. Idem supra lib. IV. narrauit Tacitus: *Missis sanè ad eum primi Antonii litteris, quib. auertere accita à Vitellio auxilia, & tumultus Germanici specie retentare legiones iubebatur. Eadem Hordeonius Flaccus prasens monuerat, inclinato in Vespasianum animo, & Reip. curâ.*

IN

IN GERMANIAM.



Pag. 291. c. 11. *Et immensus vltra, vtq; sic dixerim, aduersus Oceanus raris ab orbe nostro nauibus aditur*] Ambigua vox *aduersus*: pro qua Lips. *obuersus* substituat, aut aliam paullò duriorẽ remotioremue fuisse putet, quam præsertim præfatione lenierit. Ego veram credo detractâ litterulâ, *auersus*, qui quasi à nobis sese auertit. 1

Ceterum Germaniæ vocabulum recens & nuper additum: quoniam qui primi Rhenũ transgressi Gallos expulerint, nunc Tungri, nunc Germani vocati sunt. ita nationis nomẽ, in gentis eualuisse paullatim, vt omnes primũ à victore ob metum, mox à seipsis inuento nomine, Germani vocarentur] Crux hic locus interpretibus, ipsique etiã Lipsio, qui variè trahit, & sibi non constat: quamq; sententiã verissimã sibi deniq; persuadet, ea in se ipsam pugnat. Singula examinare & refellere mihi ꝓlixè nõ lubet: ipse quid censeã, breuiter exponã. Locum totũ sic lego: *Ceterum Germ. v. r. & nuper additũ*: (nõ muto cum Lipſ. *auditum*, quia Tacitus vult, nouum hoc nomen reliquis antiquis superadditũ) *quoniã qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, tunc* (non 2

nunc, vel vtrumque dele) *Tungri, nunc Germani, vocat: sint. ita nationis nomen in nomen gentis eualuisse paullatim, vt omnes primum à victore ob metum Tungri, mox à seipsis inuento nomine Germani vocarentur*. Cic. initio lib. 1. Diuinat. *Gens in natione, qua vniuersalis*. Quorum sententia nunc clarissima, & vbique sibi consentanea. Germanorum vocabulum ex quorundam opinione ait recentius, & priscis nominibus, quæ recensuit, nuper adiectum. idque eâ occasione & ratione. Natio quæ prima Rhenum transgressa Gallos expulit, Tungri vocabantur. Huius nomen nationis paullatim sic in gentis nomen eualuit, vt transRhenani omnes promiscuè, ob metum & formidinem aliorum è victoribus Tungri primùm, deinde proprio & à seipsis inuento nomine Germani in vniuersum appellarentur. Aliter non est vt solida, constansque sententia vlla è loco hoc eruatur.

3 pag. 292. c. IV. *Magna corpora, & tantum ad impetum valida*] Forte melius, *sed*. Bambergensis, *tantum impetu valida*.

4 c. V. *Terra etsi aliquanto specie differt, in vniuersum tamen aut siluis horrida, aut paludibus fœda: humidior qua Gallias, ventosior qua Noricum ac Pannonicam aspicit*] Lips. doctè arguit vulgatum, deniq; *verticosior* reponit: nisi *ventosior* capiendum, siccior ac magis aërea. Ego *verticosior* amplector; aut, quod eodem significatu ex iisdem vestigiis æque facilè fit, *montosior*:

sior: sed & contra in prioribus pro *humidior*, *humilior* rescribo.

pag. 293. c. VII. *Ceterum neque animaduertere, neq; vincire, neq; verberare quidem nisi sacerdotibus permissum*] Pugnantem Cæsaris locum affert Lipsius: idem conciliare ita studet, quasi Cęsar de belli tantum tempore, noster in pace intellexerit. Vanè. clarissimum ex sequentibus verbis de belli etiam tempore Tacitum sentire. Quid enim aliud ex iis colligas? *Non quasi in pœnam, nec ducis iussu; sed velut Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt.* 5

c. XI. *De minoribus rebus principes consultāt, de maioribus omnes. ita tamen, vt ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertractentur*] Contradicit sibi Tacitus. Quomodo enim si apud principes pertractantur negotia; eorum arbitrium penes plebem dici potest? aut si arbitrium plebis est, quomodo apud principes demum pertractantur? Emendo *pratractentur*. Nam hoc saltem dicit, Minora principes, maiora populus pertractāt: sed quæ populus, eadem tamen ante & principes tractant. Notarat & Muretus. 6

pag. 294. c. XII. *Sed & leuioribus delictis pro modo pœnarum, equorum pecorumq; numero conuicti multātur*] Incongrua lectio. Lego: *Sed & leuiorib. delictis pro modo pœna. Equorū pecorumq;* &c. Etiam leuioribus delictis, inquit, ex ipsorum modo modus pœnæ. Hæc vera coniectura. Olim tamen etiam conieceram, *delictis sui modi pœnarum. Equorum pecorumq;* &c. 7

8 c. XIII. *Tum in ipso concilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus scuto frameaque iuuenem ornant*] Muretus hæc breuius, sed non melius: *vel principum aliquis, vel propinqui scuto frameaq;* &c.

9 *Insignis nobilitas aut magna patrum merita, principis dignationē etiam adolescētulis assignāt*] Mur. iterum malè vocem *principis* delet: quam esse necessariam, inferiora ostendunt.

10 *Magnaq; & comitum æmulatio, quibus primus apud principem suum locus: & principum, cui plurimi & acerrimi comites*] Lego, *cui primus apud princ.* Hoc sensus vult: & probat simile in altero membro, *cui plurimi* &c.

11 c. XIV. *Exigunt enim principis sui liberalitatē illum bellatorem equum, illam cruentam victricemq; frameam*] Lego, *Exigunt enim à princ. sui liberalitate* &c.

12 *Nam epulæ, & quamquam incomti, largi tamen apparatus pro stipendio cedunt*] Cum superius præcesserit *enim*, malim hic *Iam*, id est, porrò, præterea &c.

13 c. XV. *Ipsi hebent: mira diuersitate naturæ, cum iidem homines sic ament inertiam, & oderint quietem*] Farnesianam hanc scripturam Lipsius testatur, nec dubitari vult, quin germana. Est vero ea germana lectio, sed si alia adhibeatur distinctio. Coniungenda hæc cum præcedentibus: *Fortissimus quisq; ac bellicosissimus nihil agens, delegatâ (domus &) penatium & agrorum curâ feminis senibusq;, & infirmissimo cuiq; ex familiâ, ipsi hebent: mira diuersitate naturæ* &c.

Pen-

Pendet enim oratio, *fortissimus quisq; ac bellicosissimus ipsi hebent*. Muretus è vulgata, *ipsi habent miram diuersitatem naturæ*, aliam concinnabat, deletis illis, *ipsi habent*, & reliquis cum admiratione prolatis, *miram diuersitatem naturæ!* Sed nisi stultus, alteri hanc nemo præferet. Vide apud Senecam Hippolyti vers. DCCCCLXXV. quem in hunc sensum emendamus & totidem verbis explicamus.

pag. 295. *Mos est ciuitatibus vltrò ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugũ, quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subuenit*] Lipsio deesse aliquid visum, vti & Rhenano: cuius damnatâ coniecturâ, ipse inserit, *vltrò ac viritim* x (id est, *decimas*) *conferre*. Non malè id; sed aio, non necessariò. Nihil enim inculcandum, sed subintelligẽdum ad voces *armentorum vel frugum* scilicet *aliquid*, cui respondet subsequens *quod*. Ita sæpè apud Græcos: nec rarò etiam Latinos. Horat. VIII. Satyr. lib. II. 14

Interea suspensa graues aulæa ruinas
In patinam fecere, trahentia pulueris atri,
Quantum nõ Aquilo Campanis excitat agris.

Hic itidem ad *pulueris atri* subaudis *tantum*.

C. XVI. *Quia rigorem frigorum eiusmodi locis molliunt*] Malim *loci*. 15

Et si quando hostis aduenit, aperta populatur / abdita autem & defossa, aut ignorantur, aut eo ipso fallunt, quod quærenda sunt] Muretus *autem* delet. nec auctor, credo, quod breuitatis illi studium, addidit. 16

17 c. xvii. *Gerunt & ferarum pelles, proximi ripæ negligenter; vlteriores exquiſitius, vt quibus nullus per commercia cultus*] At hoc quidem contra rationem: quæ requirit, *proximi ripæ, exquiſitius; vlteriores, negligenter: vt quibus nullus per commercia cultus*. Nec dubitabis in hunc ordinem ſenſumque verba traiicere. Muretus etiam viderat. Locum hunc transpoſitione corruptum; ſic in ordinem planè reponit L. Carrio Antiq. Lection. libr. III. cap. II.

18 *Eligunt feras, & detracta velamina ſpargunt maculis, pellibusq; belluarum, quas exterior Oceanus atq; ignotum mare gignit*] Iure ſuſpectus Lipſio locus: nec tamen commodè idem ſuppoſuerit neſcio quid de *maſtrucis*. Ego verbum deeſſe ad finem puto, *veſtiuntur* aut *ornantur*, atque ſcribendum *pellibus quoq;*, non *pellibusque*, adhibitâ inſuper aliâ diſtinctione. Etiam vox *eligunt*, non mihi placet. Tacitus indubiè ſcripſit *figunt*. Denique cum totam hanc partem inſpicio diligentiùs, non modo mutilam, ſed luxatam quoque deprehendo. Ac reſtituerim omnia hoc ordine: *Gerunt & ferarum pelles. figunt feras, & detracta velamina ſpargunt maculis. Pellibus quoque belluarum, quas exterior Oceanus, atque ignotum mare gignit, ornantur, proximi ripæ exquiſitius, vlteriores negligenter, vt quibus nullus per commercia cultus. Nec alius feminis, quam viris habitus* &c.

19 c. xviii. *In hæc munera vxor accipitur. atque in vicem ipſa armorũ aliquid viro affert*] Credo melius

melius *offert*. quod idem verbum de marito antè vsurpauerat.

Accipere se, quæ liberis inuiolata ac digna red- 20
dat, quæ nurus accipiant, rursumq; ad nepotes referant] Vox *digna* Lipsio non sincera. Mihi sincera, sed suo loco exturbata. Tu repone: *Accipere se, quæ liberis inuiolata reddat, ac digna, quæ nurus* &c.

c. XIX. *Ergo septa pudicitia agunt, nullis spe-* 21
ctaculorum illecebris, nullis conuiuiorum irritationibus corruptæ] Eleganter scio *septa pudicitia* dicitur, sed haud puto conuenienter de feminis Germanicis, quæ non custodiis, vt illa vox adsignificat, sepiebantur aut claudebantur. Fortè *certâ* legêdum, accommodatissimo epitheto. Martial. *Gaudeat & certâ virginitate soror*. plura exempla ad Velleium pag. 71. nostrarum lectionum attulimus.

Sic vnum accipiunt maritum, quomodo vnũ 22
corpus, vnamque vitam; ne vlla cogitatio vltra, ne longior cupiditas, ne tanquam meritum, sed tanquam matrimonium ament] Quem sensum hic facit illud *meritum?* Lego *maritum*. Editio quædam Lipsii sic liquide habet. Maritum, inquit, non amant tanquam maritum, sed tanquam ipsum matrimonium, vt quibus, marito hoc defuncto, matrimonium vltrà nullum sperandum.

pag. 296. c. XX. *Dominum ac seruum nullis* 23
educationis deliciis dignoscas. Inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec ætas separet ingenuos, virtus agnoscat] Muretus: *Donec separet*

ingenuos virtus. reliquis deletis. malè, malè. Elegantem hunc verbi *agnoſcere* vſum ignorauit: quem tu ex Plinii ſimili loco, de re nō diſſimili clarius intellige & nota. lib. v. epiſt. XVII. *Mireq́ cupio, ne nobiles noſtri nihil in domibus ſuis pulchrum niſi imagines habeant: quæ nunc mihi hos adoleſcentes tacitè laudare, adhortari, & quod amborum gloriæ ſatis magnum eſt, agnoſcere videntur.* Seneca item ep. cxx. *Effice vt poſſis laudari, ſi minus, vt agnoſci.*

24 *Nec virgines feſtinantur. eadem iuuenta, ſimilis proceritas. pares validiq́ miſcentur*] Tolle τελεία σπηγμὴν è medio, & diſtingue: *eadem iuuenta, ſimilis proceritas, pares validiq́ miſcentur.* Verbum enim *miſcentur* ad omnia promiſcuè referendum. Simile quid in Indis, de quibus Curtius lib. IX. *Nuptiis coeunt, non genere ac nobilitate coniunctis, ſed electa corporum ſpecie: quia eadem æſtimatur in liberis.*

25 pag. 297. c. XXVIII. *Vbii quidem quanquam Romana colonia eſſe meruerint, ac libentius Agrippinenſes conditoris ſui nomine vocentur, origine erubeſcunt*] Rectiſſimè Lipſius negatione inſerta, *non erubeſcunt.* Ego particulam etiam aliam inſeram, ſed momenti minoris: *Agrippinenſes è conditoris ſui nomine vocentur.* Liquet mihi, non aliter ſcripſiſſe Tacitum. ſupra: *Manno tres filios aſſignant, è quorum nominibus proximi Oceano Ingæuones, medii Herminones, ceteri Iſtæuones vocentur.*

26 pag. 298. c. XXX. *Quodq́, rariſſimum, nec niſi ratione diſciplinæ conceſſum, plus reponere in*

duce,

duce, quam in exercitu] Bambergensis sanè scriptura non etiam spernenda, *nec nisi Romanæ discip.* &c. Sed ego magis de verbo *concessum* sum sollicitus: pro quo vide an melius scribi possit *consensum*. quod non nisi ratione disciplinæ in consensum venit, in quod sola ratione & disciplina cōsenserunt. Vide ne *concessum* sit non, permissum, sed, *concessit*. Positū apud Senecam Hercule Oetæo vers. 599.

Et spicifera concessa Dea
Attica mystas claudit Eleusis

& vers. 1891. *Velata* pro *velans*.

Alesq; sequi iussa sagittas,
Totum pinnis velata diem.

Iterum *Concessa* sic ibid. vers. 365.

Dilecta Priami nempe Dardanii soror
Concessa famulo est. &c.

Et sic Passiua sæpe capiuntur actiuè.

c. XXXII. *Excipit filius, non vt cetera, maximus natu, sed prout ferox bello & melior*] Transpone copulam, *ferox & bello melior*. ita Mur. 27

pag. 299. c. XXXVIII. *Sic Sueui a ceteris Germanis, sic Sueuorum ingenui a seruis separantur. Sic in aliis gentibus, seu cognatione aliqua Sueuorum, seu (quod sæpe accidit) imitatione, rarum, & intra iuuentæ spatium: apud Sueuos vsque ad canitiem horrentem capillum retro sequuntur*] Lege & distingue: *Si in aliis gentibus, seu cognatione aliqua Sueuorum, seu (quod sæpe accidit) imitatione; rarum & int. iuuen.* &c. 28

pag. 300. *Ea cura formæ, sed innoxiæ*] Malo cum Mureto, *innoxia*. 29

30 *Neq; enim vt ament amenturue: in altitudinem quandam & terrorem adituri bella comti, vt hostium oculis, ornantur*] Vis verborum efficacior & clarior, si transponas: *Neq; enim vt ament amenturue: adituri bella in altitudinem quandam & terrorem comti, vt hostium oculis ornantur.* Nec mihi dubium, sic Tacitum ordinasse.

31 c. XL. *Contra Longobardos paucitas nobilitat*] Hoc è Farnesiano verum. Muretus tamen ex vulgato: *Longobardis paucitas nobilitas.*

32 c. XLII. *Marcomannis, Quadisue vsq; ad nostram memoriam Reges manserunt*] Lego cum Mureto *Quadisq;*.

33 c. XLIII. *Omnesq; hi populi pauca campestriũ, ceterum saltus & vertices montium iugumq; insederunt*] Mirum ni illud *iugumq;* abundat, repetitum ex sequentibus: *Dirimit enim scinditq; Sueuiam continuum montium iugum.*

34 pag. 302. c. XLVI. *Sordes omnium ac torpor. Procerum connubiis mixtis, nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur*] Muret. *ceterum* legebat, in vice τȣ̃ *procerum.* Ego distinctionem muto saltem: *sordes omnium, ac torpor procerum. Connubiis mixtis nonnihil* &c. Eaq; vera omnino lectio.



IN VITAM IVLII AGRICOLÆ.



Ag. 303. c. I. *At mihi nunc narraturo vitam defuncti hominis, venia opus fuit quam non petissem, * niincursaturus tam sæua & infesta virtutibus tempora*] Stigmatiam locum fecerunt, nec est integer fortasse: videri tamen poterit, si *incusaturus* vna littera detracta scribamus. nihil enim sunt sequentia nisi incusatio & insectatio superiorum temporum cum præsentium comparatione. Et in hoc saltem veniã se petisse, eaque sibi opus fuisse ait, vt occasionem haberet insectandi priora tempora, quibus quod nunc liceat, non licuerit. Videtur & hoc confieri ex iis ad finem præfatiunculæ: *Non tamen pigebit vel incond ta ac rudi voce memoriam prioris seruitutis, ac testimonia præsentium bonorum composuisse.* 1

c. II. *Adempto per inquisitiones & loquendi audiendiq; commercio*] Lips. pro *et*, *etiam* mauult. quasi non idem & illud valeat. 2

c. III. *Augeatq; cottidie facilitatem imperii Nerua Traianus*] Ne hic quidem cum eodem mutandum *felicitatem*. quanquam ipse deniq; fatetur, aptum & illud ad scriptoris mentem. 3

Illud verò aptum, sed non etiam alterum. *Facilitatem imperii* scripsit, quia de mistione principatus ac libertatis præmiserat.

4 pag. 304. c. IV. *Namq; Marcum Silanum accusare iussus, & quia abnuerat, interfectus est*] Potes commodè delere τὸ &.

5 c. V. *Nihil appetere ob iactationem, nihil ob formidinem recusare*] Venetam ego lectionem optimam putem, *in iactationem.* Sic postea: *Copiis instruxit in spem magis, quam ob formidinem.*

6 *Nō sanè alias exercitatior, magisq; in ambiguo Britannia fuit*] Non conuenit, *exercitatior*; magis *exercitior*: quomodo Tacitus certò scripsit. Neque enim fugit eiusmodi flexus vocum, sed amat. lib. IV. Historiar. *Nunquam apud vos verba feci aut pro vobis sollicitior, aut pro me securior.* Iam quid inter *exercitatum* & *exercitum* sit, pueri septennes sciunt.

7 *Trucidati veterani, incensæ coloniæ, intercepti exercitus*] Non equidem, etsi magis ex fide rei, etiam ex veritate lectionis putem scribi, *incensa colonia*, quod Lips. suasit. Auctor numerum pluratiuum seruauit, vt & concinnior oratio esset, & vt velut Britanniæ mala, quæ describit, augeret: non insolito etiam Historicis, etsi Oratoribus magis proprio, more.

8 c. VI. *Vixeruntq; mirâ concordiâ, per mutuam caritatem, & inuicem se anteponendo, nisi quod in bona vxore tantò maior laus, quantò in mala plus culpæ est*] Nihil in his verbis video,

nisi

nisi particulam *nisi* detraham, quomodo fit & perspicua & elegans sententia. Atque ita video & Muretum censuisse. Quanquam fortè non abiiciendum *nisi*, sed mutandum *siui*, id est, sibi. quæ antiqua scribendi ratio, mendum peperisse potest. Legatur igitur: *& inuicem se anteponendo sibi*. quod in bonam & longè aliam, nec tamen ipsam forte spernẽdam sententiam feceris, retento *nisi*, & immisso *non*: *Et inuicem se anteponendo, nisi quod in bona vxore non tantò maior laus* &c. Ego prius teneo.

pag. 305. c. VIII. *Praerat tunc Britanniæ Vectius Bolanus, placidius quàm feroci prouincia dignum est*] Malo, *esset*. 9

Habuerunt virtutes spatium exemplorum] Lipsii emendatio non spernenda, *spatium & exemplum*. quam eleganter ipse explicat. Ego tamen si dissentire fas, præoptem scribere, *spatium experimentorum*. Atque etiam ne membrum hoc orationis ita sit nudum, & parum cum superiore cohærens, addam initio voculam, quæ perire facillimè potuit. lego, *Breui deinde Britannia consularem Petilium Cerialem accepit. ibi habuerunt virtutes spatium experimentorum*. Sub Vectio Bolano, inquit, vim ardoremque suum compescuit Agricola: sub Ceriali vero spatium campumq; habuit, vbi se virtutes eius experirentur. 10

c. IX. *Tristitiam & arrogantiam, & auaritiã exuerat*] Importuna hîc *Auaritiæ* mentio, vbi moderatio morum aduersus alios intra facilitatem & seueritatem describitur. Mutanda 11

igitur vox, si commodè potest: si non, eiicienda potius, vt insititia. Mutare ego volebam, *amaritiem*: vt non acerbum fuisse dicat. Sed non placet. Præcedentia & sequentia qui legit paullo attentius, quale quid requiratur, tàm facilè, quàm *auaritiam* non conuenire videt. Probari tamen videtur iis, quæ statim subduntur, *integritatem atq; abstinentiam* &c.

12 *Consul egregia tum spei filiam iuueni mihi despondit, ac post consulatum collocauit*] Dubites, vtrum iungas, *consul egregiæ spei*, an, *filiam egregiæ spei*. Quod si hoc potius, magis etiam dubites, an non *speciei* pro *spei* scribendum. Sed *filia egregiæ spei*, quæ in præclarum matrimonium spe & voto multorum destinabatur.

13 pag. 306. c. XI. *Silurum colorati vultus, & torti plerumq; crines, & positu contra Hispaniam, Iberos veteres traiecisse easque sedes occupasse fidem faciunt*] Concinnabam, *positus contra Hispaniam*. vt idem sit quod situs vel positio. Muretus, *posita contra Hispania*: forte melius.

14 c. XII. *Rarus duabus tribusq; ciuitatibus ad propulsandum commune periculum conuentus* (vel *consensus*)] Lego *tribusue*.

15 c. XIII. *Diuus Claudius auctor operis, transuectis legionibus auxiliisq;, & assumto in partem rerum Vespasiano. quod initium venturæ mox fortunæ fuit, domitæ gentes, capti Reges, & monstratus fatis Vespasianus*] Ita distingue: *& assumto in partem rerum Vespasiano: quod initium v. m. f. fuit. Domitæ gentes, capti Reges* &c.

16 pag. 307. c. XV. *Æquè discordiam præpositorum,*

rum, æquè concordiam ſubiectis exitioſam. alterius manus centuriones, alterius vim & contumelias miſcere] Non culpo Lipſii correctionem: *alterum manus, centuriones: alteram vim & contumelias miſcere.* magis tamen probo poſteriorem eiuſdem coniecturam: *alternis manus, centuriones: alternis v. & c. miſcere.* Sic nihilominus, vt accipiam non eodem planè ſenſu. Ipſe interpretatur, tanquam velit auctor: Præpoſitos alternis, & viciſſitudine quadam ſæuiſſe. At ego *alternis* iſtud explico, Modò per diſcordiam, modò per concordiam. Manus ac centuriones miſcere per diſcordiam: per concordiam vim & contumelias. Nam ad id quod proximè dixit, auctor reſpicit: & declarat, quomodo ſubiectis æquè diſcordia, æquè concordia ſit exitioſa. Hæc mens verborum clarius eluceſceret, ſi ſcriptum ita eſſet: *alterum manus, centuriones; alteram vim & contumelias miſcere.* vt prius *alteram* diſcordiam, poſterius concordiam intelligas. quo quidem modo vide etiam ne legendum omnino ſit.

Plus impetus, maiorem conſtantiam penes miſeros eſſe] Vera & plana ſententia. neſcio tamen 17
quid hic deſidero, cum præcedentia iſta reſpicio: *neue prœlii vnius aut alterius euentu paueſcerent.* Videtur enim prius illud membrum *plus impetus*, velut in comparatione ſui & Romanorum, de Romanis voluiſſe dicere: *Illis vt integris & felicibus plus quidem impetus, ceterum ſibi, vt miſeris plus conſtantiæ.* Itaque vox aliqua periit fortaſſe: quæ inſeri facilè ex ſententia

possit: *Plus impetus integris, maiorem constantiam penes miseros esse.* Sed alii diligentius hoc considerent,&acutius diiudicent. Ego etsi vulgatam satis tolero, indicare tamen hanc suspicionem meam volui.

18 pag. 308. c. XVIII. *Contractisq; legionum vexillis & modica auxiliorum manu, quia in aequũ digredi Ordouices non audebant, ipse ante agmẽ, quo ceteris par animus simili periculo esset, erexit aciem*] Manifestò mihi tenere insulsissimam glossam visus sum, vocem *Ordouices*. An n. Ordouices non audebant? ipsi imò Agricolæ milites. quibus trepidantibus, ipse ante agmen incedens, animum fecit, aciemq; consternatam erexit. Nempè igitur delenda. Minimè verò. Sed corrigenda iterum, correcta à nasuto nimis aliquo lectore, qui, quia de Ordouicibus hic ageretur, vocem *ordines*, quomodo Tacitum scripsisse affirmare audeo, vt sapere plus quàm alii videretur, stultissimè mutauit in *Ordouices*. Putidum sit cogitare de perditione & restitutione alterius vocis, tanquam scriptum esset, *digredi aduersus Ordouices*. Pro *digredi* tamen potius sit legere *degredi*, vt & alibi diximus.

19 *Caesaq; propè vniuersa gente, non ignarus instandum famæ, ac vt prima cessissent, fore vniuersa*] Non hic sistitur sententia, sed ad illa vsque progreditur, *animo intendit*. Tolle igitur hinc punctum, & reliqua adiunge: *fore vniuersa, Monam insulam* &c. Structura ipsa verborum non aliter patitur, quæ hæc: Non ignorans instandum famæ, Monam insulam redi-

gere

gere in poteſtatem animo intendit. *Famâ bella conſtare* ait Curtius.

Sed vt in dubiis conſiliis, naues deerant, ratio & conſtãtia ducis transuexit] Mira omnia ſunt, ni transpoſitum hoc eſt. Hunc quidem ordinem & ſententiæ & ſtructuræ concinnitas poſtulat: *Naues deerant: ſed, vt in dubiis conſiliis, ratio & conſtantia ducis transuexit.* 20

c. XIX. *Officiis & adminiſtrationibus potius non peccaturos, quàm damnare cum peccaſſent*] Clarum vocem *præficere* aut ſimilem deeſſe, vt aliis notatum. Muretus, neſcio an è libro, ſcribebat: *off. & adm. præponere potius* &c. 21

Frumenti & tributorum auctionem æqualitate munerum mollire] Nihil dubitem *exactionem* ſcribere, vt Lipſius coniiciebat: nam de auctis tributis, vanum. Pro *æqualitate* verò pænè certum mihi Tacitum reliquiſſe *æquitate*. quod verum ſenſum facit. Coniecerat ſic & Muretus. 22

Namq; per ludibrium aſſidere clauſis horreis, & emere vltro frumenta, ac vendere pretio cogebantur] Muretus, *ac pendere pretium*, multò, vt mihi videtur, veriſimiliore ſententia. 23

c. XX. *Atq; vbi ſatis terruerat, parcendo rurſus irritamenta pacis oſtentare*] Multò potius, quod iam pridem margini appoſuerunt, *inuitamenta*. quod & credo verum. Quid tamen ſi & *imitamenta pacis?* id eſt, pacis quandam ſpeciem. 24

pag. 309. c. XXIV. *Eamq; partem Britanniæ, quæ Hiberniam aſpicit, copiis inſtruxit, in ſpem magis quam ob formidinẽ*] *In ſpeciem* hic potius 25

ait Lipſ. Videtur ita prima fronte: ſed ſi mentem auctoris inſpicis accuratius, contra omninò eſt. Nam ſi *ſpeciem* legis, vt alia omittam, quare iſta ſubiungit? *Siquidem Hibernia valentiſſimam imperii partem magnis inuicem uſibus miſcuerit.* nullam video ſentẽtiæ ἀκολουθίαν. His enim illa declarare vult: quæ ſunt, ſi ita quidem legas, planè diuerſa. Conueniunt optimè, ſi *ſpem* retineas. Dicere enim hoc vult: Britanniæ eam partem, quæ Hiberniam ſpectat, copiis ab Agricola inſtructam, non tàm metu vllo, quàm illâ ſpe, Hiberniam quoque ipſam obtinendi. De inuadenda quidem cogitaſſe, clarum ex ſequentibus: *Aditus portusq; per commercia & negociatores cogniti.* Et occaſioni fuiſſe intentum iſta affirmant: *Agricola expulſum ſeditione domeſtica* &c. *in occaſionem retinebat.* Facilem quoque rem ſibi perſuaſiſſe, illa monſtrant: *Sæpe ex eo audiui* &c Copiis itaque inſtruxit hanc Britanniæ partem, vt in tempore paratas ad expeditionem haberet.

26 *Solum cœlumq; & ingenia cultusq; hominum haut multum à Britannia differunt. melius aditus portusq; per commercia & negociatores cogniti*] Muret. legebat, *differunt in melius. Aditus portusq;* &c. quam ſcripturam valdè amplectar, ſi ſententia, quam gignit, vera. Dubito enim an Hibernia differat in melius à Britanniâ. Propior ſum credere diuerſum, & addita particula negante ſcribere, *haud multum à Britanniâ differunt, nec in melius.* Vtrum verius ſit, illud quidem mihi certum, vocem *melius* præcedentibus

tibus tali aliqua emendatione aptandam, non cum sequẽtibus, vt nunc vulgò, coniungendã. Nam nec sensus quidquam illic ab eâ iuuatur: & concinnitas structuræ nescio quomodo læditur. Nisi quis forte mutare, sane non incommodè, ita malit: *Militibus aditus portusq; per com. & neg. cogniti. Agricola expulsum* &c.

pag. 310. c. xxv. *Admanus & arma conuersi Caledoniam incolentes populi, paratu magno, maiore fama, vti mos est de ignotis, oppugnasse vltrò, castella adorti, metum vt prouocantes addiderant*] Vitium in sermone hic suspicantur. Itaque & Lips. *nunc oppugnauêre*, nunc *oppugnare vltrò, castella adoriri*, mutat. Ego caussam mutandi nullam video. Nam concisa hęc loquendi ratio plane Corneliana: Caledonii famâ, castella adorti vltro oppugnasse, addiderant metum, vt prouocantes. 27

c. xxvi. *Ita ancipiti malo territi Britanni: & Romanis rediit animus, ac securi pro salute, de gloria certabant*] Concinnius sit, si vicissim traducas particulas *pro* & *de*. lego, *ac securi de salute, pro gloriâ certabant*. Nam *securum esse pro aliqua re*, nescio an Latinè possis dicere. 28

Vltrò quinetiam irrupêre] Imò *erupêre*. Res ipsa & sequentia clamant. 29

Quod nisi paludes & siluæ fugientes texissent, debellatum illâ victoriâ foret. cuius constantiâ ac famâ ferox exercitus: nihil virtuti suæ inuium, penetrandam Caledoniam &c. *fremebant*] Lege, *cuius conscientiâ ac famâ*. 30

c. xxvii. *At Britanni non virtute sed occasione* 31

& arte ducis rati] Melius omninò, si legas, *strati*, vel *fracti*, quod infra statim: *Britanni nihil fracti pugnæ prioris euentu.*

32 pag. 311. c. xxx. *Nos terrarum ac libertatis extremos, recessus ipse ac sinus famæ in hunc diem defendit. nunc terminus Britanniæ patet, atque omne ignotum pro magnifico est. Sed nulla iam vltra gens, nihil nisi fluctus & saxa: & interiores Romani*] Valdè vereor, vt hæc suo ordine legantur. Muret. ista omnia delebat, *atque omne ignotum pro magnifico est.* et pro *famæ* legebat *famâ*. At ego dissiliisse hæc video, atque iterum conglutinanda. Quo tamen reponenda potissimum loco, aliquantulum hæsito. Binis quidem possim, & æquè vtroq; commodè. Vel vt ita ordinētur: *Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus (fama, (vel famâ,) namq; omne ignotū pro magnifico est:) in hunc diem defendit: Nunc terminus* &c. Vel vt ita: *Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus in hunc diē defendit. Fama namq; omne ignotū pro magnifico est. Nūc terminus* &c. Alterutro certè horū modo debet. Vtro, nō definiā: sed in priorem magis inclinē. Ceterū in iis, quę deinceps, particulā *sed* delēdam, & iunctim illa sic legenda, certissimum: *Nūc terminus Britanniæ patet: nulla iam vltra gens; nihil nisi fluctus & saxa, & in iis infestiores Romani.* Quę postrema Lips. sic emendauit. Quamquā non malè retineri vulgatum etiā potest; sensum certè facit aptissimū: *vltra Caledoniam nulla amplius gens, nihil præter fluctus & saxa: in eius interiorib. ecce Romani.* Vt ego

ego quidem mutare hîc nihil adhuc sustineam.

Auferre, trucidare, rapere falsis nominib. imperiũ; atq; vbi solitudinem faciunt, pacem appellant] Rectè vt hęc cõstruas vide. Non n. ita iungenda, *falsis nominib. imperium rapere*. Sed, *auferre, trucidare, rapere appellãt imperiũ: vbi solitudinẽ faciũt, pacẽ: falsis* scil. vtrumq; *nominib.* 33

C.XXXI. *Nos integri & indomiti & libertatem non in * præsentia laturi, primo statim congressu* (Lipſ. verè, *primâ statim cõgressione*) *vnde ostendamus, quos sibi Caledonia viros* &c.] Mureti lectionem Lipsius nõ probat. Ego non possum nec ipsius Lipsii. Ille, *& in libertatẽ, non in populi Rom. seruitium nati*: hic, *libertatem non in præsenti ablaturi* vel *illaturi*. At interpretationem eius vtrisq; manib. amplector, vidit n. verã loci sententiam: quæ tamẽ ex ipsius emendatione nullo modo cõficitur. vt conficiatur, aliâ planè opus est, verbumq; aliquod desideratur, quod eam expleat, iungendum cum participio *laturi*. Hoc vide si forte inueni, latens in veteri Romanâ editione, quæ habet, *& in libertatem*. Istud *in* si diducatur, exibit aptè, *minui*. Quod corrumpi & decurtari ita quàm facilè potuerit omnes vident. Vt iam ita commodissimè legatur: *Nos integri & indomiti, & minui libertatem non in præsentis laturi, primâ statim congressione ostendamus* &c. In hoc maneo, donec ab aliis certius quid è libris afferatur. Nam ex ingenio non posse opinor: è libris autem, penè despero, quando vix vllibi vlli. Quid olim coniecerim in hunc locum, parco asscribere. 34

Varia illa sunt, nec ipsi mihi vnquam satis probata. Vnum afferam nihilominus, in quo Taciti phrasin agnosces saltem, si nihil præterea idonei aliud: *Et libertati, non imperio sueti, alacri primâ statim congressione* &c. Sic quidem ille frequenter loquitur. XIV. Annal. *Neq, coniugiis suscipiendis, neque alendis liberis sueti.* lib. IV. Hist. *Seruirent Syria Asiaque, & suetus regibus Oriens.* Nunc etiam aliud incidit, veræ sententiæ aptius quam hoc; æquè aptum ac quod posui primò, sed quod præferre illi tamen nequeo. Lego, *& libertatem non imperio in præsentia mutaturi.* Vt vox *imperio* similitudine litterarum perierit. Mureti coniecturam firmare possis ex Cæsare libro VII. de bello Gallico: *Hortaturque eos vt se liberos & imperio natos meminerint.*

35 C. XXXI. *Nostris illi discessionibus ac discordiis clari, vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt*] Duo mutabat hic Muretus. *Dissensionibus*, quod valdè amplector. Pro *hostium*, *nostra.* Hoc quidem non recipio. Et sensum facit eundem quod vulgatur: et, si verba inspicis, elegantiæ orationis magis seruit.

36 pag. 312. c. XXXIII. *Octauus annus est, commilitones, ex quo virtute & auspiciis* &c.] Octo annos ego non exputo: tantum septem. Peccatum fortasse notis numeralibus: quibus iota vnum malè superadditum. Septimo enim expeditionum anno hanc pugnam pugnatam omnia clamant. Illa superiora præcipuè: *Initio æstatis Agricola domestico vulnere ictus, anno*

ante

ante natum filium amisit. Æstatem septimam intelligit. Nam de sextâ, vt de reliquis ordine, proximè præcesserat. Nec alterum hîc annum interiectum illa euincunt in ipsa oratione: *Hi sunt, quos proximo anno, vnā legione furto noctis aggressos, clamore debellastis.* Proximo ait factum, quod factum indubiè sexto. Erit igitur hic necessariò septimus.

C. XXXIII. *Veniunt à latebris suis extrusi. Et vota virtusq; in aperto, omniaq; prona victoribus, atque eadem victis aduersa*] Muretus, *en vota virtusque* &c. eleganter quidem: sed si ita voluisset Tacitus, præposuisset hoc ipsum, & quod nunc prius, sequeretur. isto nimirum ordine: *En vota virtusque in aperto. Veniunt à latebris suis extrusi.* Cui quia non ita aptè subiiciuntur reliqua, *omniaq; prona victoribus* &c. relinquamus potius ex omni parte lectionem vulgatam. 37

C. XXXV. *Tum Agricola, superante hostium multitudine, veritus, ne simul in frontem, simul & latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quanquam porrectior acies futura erat, & arcessendas plerique legiones admonebant, promtior in spem, & firmus aduersis, dimisso equo pedes ante vexilla constitit*] Sententia, si quid in ea video, esse hæc debet: Quanquam acies non multò porrectior erat futura, etiamsi ordines diduxisset, atq; ea caussa legiones accersi alii suadebant. Vocem igitur insero, quę perire per similitudinem litterarum facillimè potuit: *Quanquā paruò porrectior acies. Paruò* aduerbialiter. 38

ſic etiam Gellius lib. XIII. cap. II. *Accius tunc haud paruò iunior.*

39 C. XXXVI. *Nam Britannorũ gladii ſine mucrone complexũ armorum, & in aperto pugnam non tolerabant*] Muretus *tolerant*. quomodo & ipſe malim.

40 *Et tractis qui in æquo obſtiterant, erigere in colles aciem cœpere*] Etiam hic cum eodem *fractis* malim.

41 *Interim equitum turmæ fugêre, couinarii peditum ſe prœlio miſcuêre: et quamquam recentem terrorem intulerant, denſis tamen hoſtium agminibus & inæqualibus locis hærebant*] Muretus *noſtrorum* hic reponit. cui non aſſentior. Nam quantũ ex narratione totâ colligo, mens Taciti hæc eſt: Couinarii illi, etſi Romanis terrorem aliquem intulerant, tamen inæqualib. locis & denſis ſuorum agminibus, quorum peditum ſe prœlio miſcuerant, poſt equitum fugam, hærebant.

42 pag. 313. C. XXXVII. *Et aliquando etiam victis ira virtusq;*] Poëtæ illud aſpexit autor:

Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.

43 *Ceterum vbi compoſitos firmis ordinibus ſequi rurſus vidêre, in fugam verſi, non agminibus vt prius, nec alius alium reſpectantes, rari, & vitabundi inuicem, longinqua ac auia petiêre*] Lego, *ſed alius alium reſpectantes* &c.

44 C. XXXIX. *Hunc rerum curſum, quanquã nullã ver-*

verborum iactantiâ epistolis Agricolæ actum, vt Domitiano moris erat, fronte lætus, pectore anxius, excepit] Hæsisse olim Lipsius ait, nunc leui emendatione sic expedire, *auctum* pro *actum* rescribendo. At neq; cur hæreret, neque cur mutaret quidquam, caussa erat. *Actum* non iungendum cum superiore *cursum*, sed absolutè per se capiendum, ac si ita scripsisset autor, Quamquam Agricola minimè iactanter epistolis egerat: vel, Quanquam ab Agricolâ nulla verborum iactantiâ epistolis actum erat. In quo Taciti phrasin est agnoscere.

pag. 314. c. XL. *Multo verborum honore cumulata decerni in senatu iubet: addiq; insuper opinionem, Syriam prouinciam Agricolæ destinari*] Lego, *additque*. sic & Muretus. 45

Siue verum istud, siue ex ingenio principis fictum ac compositum est] Quanquam per se membrum hoc subsistit, aut etiam à superioribus pendet; melius tamen fortè cum sequentibus ligaueris: *siue verum istud, siue ex ingenio principis fictum ac compositum est, tradiderat interim Agricola successori suo prouinciam quietam tutamque.* 46

c. XLII. *Obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eò laudis excedere, quò plerique per abrupta, sed in nullum rei post vsum, ambitiosâ morte inclaruerunt*] Malit Lipsius *accedere*, vel potius *escendere*. Ego vulgatum nolim mutari. At sequentia huius comprehensionis integra vix esse, eidem consentio. Post isthæc verba, *quo pleriq; per abrupta*, deesse 47

alia censeo, non tàm quæ horum ipsorum sensum explcant, (nam hic subaudiri aliquid Taciti more fortasse debet) sed quæ sequentium sint veluti vinculum, quo præcedentibus meliore structura cohæreant. Sed mihi etiam aliter olim consuli huic loco posse visum est. Inserebam duas saltem voculas: ***eò laudis excedere, quò plerię vix, qui per abrupta, sed in nullum rei pòst vsum, ambitiòsa morte inclaruerunt.*** De cetero, Muretus illud ***pòst vsum***; quod ego similibus multis exemplis elegans puto, mutabat, scribebatque, ***in nullum reip. vsum.***

48 pag. 315. c. XLIII. ***Nec quisquam auditâ morte Agricolæ aut lætatus est, aut statim oblitus est***] Alterutrum ***est*** delendum. De posteriore ita voluerat Muretus.

49 ***Nobis nihil comperti affirmare ausim***] Periit hic quoq; vocula: ***nobis nihil comperti, quod affirmare ausim.***

50 ***Ceterùm per omnem valetudinem eius, crebrius quam ex more principatus per nuntios visentis, & libertorum primi, & medicorum intimi venêre***] Quis tàm aliud agens, qui principiis legendum non animaduertat? notauerat Muretus etiam.

51 ***Speciem tamen doloris animo vultuque præ se tulit***] Nihil hîc muto, sed quæro, quid phraseos, ***animo præ se ferrè speciem doloris***? Si dices ad vocem ***animo*** aliud quod verbum subintelligi, quis sensus, aut quomodo verum, dolorem vel doloris saltem speciem animo concepisse Domitianum, qui morte Agricolæ maxi-

mè

mè lætabatur? Possit legi, *speciem tamen doloris omninò vultu præse tulit*. Sed nolo mutari. sic enim accipere debemus, Vultu simulasse animi dolorem. Et eodem modo primo Historiarum hæc iunxit: *Sed plurimum trepidationis in publico, vt quemque nuntium fama attulisset, animum vultumque conuersi, ne diffidere dubiis, aut parum gaudere prosperis viderentur*. Vbi vocem *animum* pariter non conuenire argueris: nisi Tacito loquendi illa consuetudo.

C. XLIV. *Nam sicuti durare in hac beatissimi sæculi luce, ac principem Traianum videre, augurio votisq; apud nostras aures ominabatur*] Lego, *durare in hanc beatissimi sæculi lucem.* 52

C. XLV. *Mox nostræ duxêre Heluidium in carcerem manus: nos Maurici Rusticiq; visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit*] Scriptura etiã apud me, vti apud Lipsium, fidei fluxæ. Ille, nihil videre melius fatetur: ego videre mihi visus sum aliquid. censeo binas voces truncatas, alteram caudâ, alteram capite, in vnam istam, *visus*, coaluisse. Et scribo: *Nos Maurici Rusticiq; vidimus casus.* 53

Excepissem certè mandata vocesq;, quas penitus animo figeremus] Cur non *excepissemus* scribitur, vt *figeremus*? De se enim & coniuge loquitur. 54

pag. 316. C. XLVI. *Admiratione te potius* * *temporalibus laudibus, & si natura suppeditet,* * *militum decoramus*] Cœnum & lutum hoc purgare aliquâ ex parte sic Lipsius tentat: *admi-* 55

ratione te potius, te immortalibus laudibus. neq progreditur vltra. Muretus *temporalibus* illud totum deleuerat: credo quia censebat, priores has syllabas *tempor*, natas ex præcedētibus vocibus *te potius*: posteriores *alibus*, ex sequente *laudibus*. Ac fieri potest, vt hæc vel ipsius vel nostra coniectura vera sit. Vltima autem ista, *militum decoramus*, idem emendauerat, *imitatione virtutum colamus*. in quo vereor ne licentiæ plusculum sit. Tamen his vestigiis perduxit me fortassis ad verum. Censeo ego verbum vltimum, quodcunq; est, non à particula *te*, quę perperam inserta, sed ab ipsa voce *virtutum*, quæ præcesserat aliquo interuallo, pendere. Atq; ita totum locum scripserim: *Placidè quiescas, nos domum tuam ab infirmo desiderio, & muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces: quas neq; lugeri, neq; plangi fas est: admiratione potius, &* [*immortalibus*] *laudibus, & si natura suppeditet, imitatione colamus.*

56 *Vt omnia facta dictaq; eius secum reuoluant, famamq; ac figuram animi magis quàm corporis complectantur*] Certò *formamq;* scribendum, non *famamq;* quod viderat etiam pridem Muretus.

IN

IN DIALOGVM SIVE TACITI, SIVE QVINCTILIANI, DE ORATORIBVS.

PAg. 317. c. I. *Vt aut de ingeniis nostris male existimandum sit*] Lipsius ita edidit ex Farnesiano: cum Romanus haberet, *existimandum habeam.* quod hîc affirmo aptius. Alterum enim illud nimis latè diffundit ad omnes: hoc ad ipsum libri auctorem restringit sententiam, vt debet. Nam de se solo loquitur: *Tam magnæ quæstionis pondus excipere non auderem.* De loquendi ipso genere res facta. Vtitur hic auctor omnibus ferè huius libelli paginis. 1

Cum singuli diuersas vel easdem, sed probabiles caussas afferrent] Iam olim damnarunt has voces *vel easdem* Lipsius & Muretus, superesse eas arbitrati. Plane arbitrer ita quoque ipse, nisi forte ex iis mutandum, *diuersas, sed valde easdem probabiles.* vel, *diuersas, sed eas valde probabiles.* 2

c. II. *Et Aper communi eruditione imbutus, contemnebat potius litteras, quam nesciebat*] Mihi sententia magis suadeat, *omni eruditione.* 3

4 c. III. *Leges tu quidem si volueris, & agnosces quæ audisti*] Notauit Lipsius scripti libri diuersissimam lectionem: *Leges quid Maternus sibi debuerit.* Hinc Muretus fecerat: *Leges tu quidem si volueris, & agnosces quid Maternus sibi debuerit.* deletis istis, *quæ audisti.* Ego non accipio. Vulgatam retineo & tueor, quidquid liber scriptus mutet.

5 *Quod si qua omisit Cato, sequenti tractatione Thyestes dicet*] Lego, *recitatione.* Præcesserat: *Quem pridie recitauerat librum intra manus habentem deprehendimus.*

6 *Etiamsi non nouum tibi ipse negotium importasses*] Displicet vox *importasses.* Erat commodius, *imposuisses*: sed à litteris longius abludit. Credo fuisse *imperasses.*

7 *Id est nostras quoq; historias & Romana nomina Græcorũ fabulis aggregares*] Notauit Muretus, *aggregare.* vt videatur sic hæc cum præcedentibus iunctim accepisse: *Etiamsi non nouum tibi ipse negotium importasses, Domitium & Catonem, id est, nostras quoq; historias & Romana nomina Græcorum fabulis aggregare.* Non iunxit per Appositionem, *negotium, Domitium & Catonem*: sed, *negotium aggregare*: itemque *Domitium & Catonem, nostras historias.* Equidem non minus aptum, sed minimè necessarium, sic orationem struere.

8 c. IV. *Cui desidiam aduocationum obiicis*] Statuo sic rectè in Lipsii libro. Tamen è vulgato, *cui desidiam aduocamur,* non inconcinnè fecerat Muretus, *qui desiiam aduocari.*

C. V.

C. V. *Et ego enim quatenus arbitrium litis huius inueniri non patiar; Maternum sollicitè plurimum defendi. sed & ipsum solum apud eos arguam*] Verissima Pithœi coniectura, *quatenus arbitrum litis huius inueni, non patiar Maternum societate plurium defendi.* à quâ paullum quid mutabat Muretus: *Et ego enim quando te nunc arbitrum* &c. Sed hoc malè. Non ipsi venerat in mentem, *quatenus* hîc esse *quoniam*. Illud melius ad finem ita legit: *sed ipsum solum apud te eò arguam, quòd natus ad eloquentiam virilem* &c. Melius inquam, quam Lips. qui voluit tantum, *apud vos.* 9

Amittit studium, quo non aliud in ciuitate nostra] *Omittit*, rectius. Etiam notauerat Mur. 10

Nam si ad vtilitatem vitæ omnia consilia factaque nostra dirigenda sunt, quid erit tutius, quam eam exercere artem] *Vtilius* potius sententia poscit, quamquam nec *tutius* damnat: quod tamen mihi malè ex postrema huius membri parte inuectum huc videtur: *Ipse securus, & velut quadam perpetua potentia ac potestate munitus.* 11

Non hercle lorica aut gladius in acie firmius munimentum, quam reo & periclitanti eloquentiæ præsidium simul & telum] Melius & concinnius scribas *eloquentia.* Sic eloquentia præsidium & telum dicitur, vt lorica & gladius munimentum. Fortassis etiam omissa copula scribendum, *quàm reo periclitanti.* 12

Vel in iudicio, siue in Senatu] Mur. *siue in iudicio.* Leue hoc, sed tamen rectius. 13

14 *Qui accinctus & minax disertam quidem*] Lego, *qua*. Præcessit, *eloquentiam suam opposuit.*

15 *Plura de vtilitate non dico, cui parti minimè contradicturum Maternum meum arbitrer*] Præposuit Lipsius veterem hanc lectionem vulgatæ, *cui præsertim minimè* &c. Malè. hęc vetior & sensui structuræq; accommodatior.

16 c. VI. *Illos quinimo orbos & locupletes & potentes venire plerunq; ad iuuenem & pauperem*] Vox *potentes* mihi suspecta: cuius in loco requiritur aliquid de orborum senio, non potentia. Neque enim aliter sibi membra orationis inuicem conuenerint. Opponit orbos & oratorem: quorum illi locupletes & senes, hic plerumque pauper & iuuenis. Vide ergo, si scribendum in vicem τῦ *potentes*, *depontanos*. quomodo sexagenarios & prouectiores ætate vulgò appellabant.

17 pag. 319. *Spectare homines veteres & senes, & totius vrbis* (rectè sic Pithœus, non *orbis*) *gratia subnixos*] Non concoquo *homines veteres*: multo minus *veteres & senes* iunctim. Quis enim paullò elegantior alterutro modo loquatur? Nec scio quid faciam, nisi vt eiiciam illam ipsam vocem *Veteres*, quæ nescio quomodo se huc insinuauit. Nam mutari commodè quî possit, non equidem ego video. Terentius tamen Eunucho de illo ipso: *Hic est vetus, vietus veternosus senex*. Aliâ tamen ibi ratione. Et Tibullus: *In veteres esto dura puella senes*. Et Plaut, Mercat. act. II. sc. II. *Acheruntìcus senex, vetus, decrepitus.* *Quod*

Quod gaudium consurgendi assistendiq; inter tacentes, in vnum conuersos] Velim addi copulam hîc, *& in vnum*: vt statim post deleri, *Coire populum, & circumfundi coram, & accipere affectum quemcunq; orator induerit.* Deleo inquam prius *et*: sed & mox emendo ex *coram*, *coronam*. perspicua veritate. 18

Vulgata dicentium gaudia, & imperitorum quoq; oculis exposita percenseo. Illa secretiora, & tantum ipsis orantibus nota, maiora sunt] Rectè è libro scripsit Lipsius *percenseo*, cum vulgo esset *parua censeo*, cum pernicie, vt idem ait, totius sententiæ. Sed quæso si sententiam hoc peruertere videbat, quomodo non vidit idem facere illud quod sequitur, *maiora sunt?* quod ab eodem corruptore manauit, vt alteri *parua* responderet. Miror hoc reliquisse, cum illud mutaret. Ego audacter & hoc deleo, vt totum sic scribatur: *Vulgata d. g. et imp. q. oc. exp. percenseo: illa secretiora, & tantum ipsis orantibus nota. Siue accuratam* &c. Vbi quid subintelligendum, nemo tam cæcus, qui non videat, *illa*, scilicet quæ iam recensebo. 19

Siue nouam & recentem curam non sine aliqua trepidatione animus attulerit] Vox *curam* videtur superuacua. Intelligenda enim ex præcedentibus noua & recens oratio. Quamquam sanè *curam* pro oratione aut quouis scripto dici posse non negarim. Et sic Tacitus forte intelligi voluit Annal. III. *Sed aliorum exitus, simul cetera illius ætatis memorabo, si effectis in quæ tendi, plures ad curas* 20

vitam produxero. Sed hîc quidem ea vox ſententiæ loci non conueniat. Ineſt enim ei ſignificatio laboris & induſtriæ cuiusdam. At hîc oratio intelligitur noua & ſubito indiligentiusque facta. Opponitur enim ſuperiori illi *accurata meditataq;* quam vocabat.(*Siue accuratam meditatamq; affert orationem*) Vnde labor, ut, ſi non delendam, mutandam ſaltem vocem exiſtimem, & hunc ſcribendum in modum, *ſiue nouam & recentem nec accuratam.* Dubiè tamen hoc poſuerim. illud audacius dicam, pro *animus,* legi melius poſſe & forte debere *animi. Attulerit,* nempe orator. Vocem *cura* vero pro quouis ſcripto dici poſſe teſtatur Martialis libr. 1.

Epigr. LXVII. *Secreta quære carmina & rudes curas* &c.

Et Epigr. CVIII. *Condere victuras tentem per ſecula curas* &c.

21 *Nam ingenio quoq;, ſicut in agro, quamquam alia*] Inſere, *nam in ingenio.*

22 C. VII. *Tum mihi ſupra tribunatus & praturas & conſulatus aſcendere videor, tum abire:* * *quod ſi non in alio oritur, nec in codicillis datur, nec cũ gratia venit*] Difficilis & variè tentatus locus. Iamprimum Rodolphus, *tum ſupra me abire.* cui ſequentia non cohærent. Deinde Pithœus, *Tum habere, quod non in aluo* (ſiue *albo*) *oritur.* Mur. etiam tentauit, ſed non vltra progredi potuit, quam *tum habere.* Douſa libr. 1. cap. XVI. ad Petronium putauit ſic ſarciri lacunam poſſe, *tum in cœlum abire.* quod nihilo magis hæret ſequen-

ſequentibus, quam Rodolphianũ. Lipſ. deniq; coniiciebat: *tum habere, quod ſcilicet nõ in atrio oritur.* vt ad concurſum ſalutantium referas. Paullo magis id quidem appoſitum, ſed tamen vt omni ex parte non conueniat. Luſi eandem & ego aleam: & neſcio an planè felicius. Scribã aliqua ſane cum licentia; *tum habere, quod non in tabulis diribuur.* vt ad ſuffragia in honorum petitionibus reſpiciat, & diribitorias tabellas. quod quadrat & cum præcedentib. & ſequentibus. Dixit enim de tribunatibus, præturis, & conſulatibus: ſubiungit, quæ eodem pertinẽt; *Nec in codicillis datur, & cum gratiâ venit.* Solebat enim Princeps honores quibuſdam largiri ſuo ex arbitrio & id in codicillis, de quo ritu eruditè & diligenter Lipſius ad XIII. Annal. quẽ vide. quamquam trahere hanc dictionem etiam ad teſtamentales legationes poſſis, quæ in codicillis olim concipiebantur. Poſtremum quidem illud *cum gratiâ venit,* ad honorum impetrationem manifeſtè referendum. etſi & illud ipſum ſcribi malim abiecto *cum: nec gratiâ venit.* elegantiore ſenſu & phraſi.

23 *Quæ fama & laus cuiuſuis artis cum Oratorum gloria comparanda eſt*] Deſideratur in initio tranſitiua particula (Fortè, *Iam quæ fama & laus*) vel quæ alia ſimilis. Tranſit enim à voluptate oratoriæ ad dignitatem. quod ſine tali aliquâ particulâ nequit.

24 *Sed etiam apud iuuenes & adoleſcentes, quibus morum indoles eſt, & bona ſpes ſui*] Muretus voluit, *quibus modò & indoles eſt.* Atque

& sanè etiam in vulgatis libris. Ego aliter; rectiùs non dico: *quibus* (fortè &) *maiorum indoles est, & bona spes sui.* Nam Suetonius Augusto cap. VIII. planè ad Taciti exemplum: *Approbata citò etiam morum indole super itineris industriam.*

25 c. VIII. *Nec hoc illis alterius ter millies HS. præstat* &c.] Locum, quà potuit, bene Lipsius restituit & distinxit: postrema pars adhuc non concinna satis. quæ vt rectius cum superioribus copuletur, totum locum distinctum & emendatum etiam alicubi, à me asscribam: *Nec hoc illis alterius ter millies, alterius sestertium præstat, (quamquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiæ beneficio peruenisse.) sed ipsa eloquentia. cuius numen & cœlestis vis multa quidem omnibus sæculis exempla edidit; ad quantam vsque fortunam homines ingenii viribus peruenerint: sed hæc, vt supra dixi, proxima,* (noli probare cum Lipsio, quod in vulgatis libris, *propria*) *& quæ non auditu cognoscenda, sed oculis spectanda habemus.* non *haberemus.* Illud alterum in excusis quibusdam etiam libris, & Mureti erat. atque ipse probasse videbatur.

26 *Eò clariora & ad demonstrandam oratoriæ eloquentiæ vtilitatem illustriora exempla sunt.*] Non agit amplius de vtilitate; sed iam de dignitate eloquentiæ. Scribam ergo, *nobilitatem.*

27 *Quia Vespasianus venerabilis senex & patientissimus veri, benè intelligit.*] Quorsum hic

hîc prædicat in Vespasiano *veri patientiam*? In vulgatis olim *vir* est. Inde legam accommodatius ad sensum loci, *venerabilis senex, & sapientissimus vir*.

pag. 320. *Quas facilius inuenies qui vituperet quam fastidiat*] Muretus *qui* inserit: *quam qui fastidiat*. Rectè. Sed & rectè abesse potest. 28

c.x. *Atque adeo si quis requirit & semel vidit, transit & cōtentus est, vt si picturam aliquam vel statuam vidisset*] Lego, *si quis requirit, vt semel vidit*. id est, postquam. 29

Quibus natura sua oratorum ingenium denegauit] Siue adeò, *oratorium*. 30

Et iamborum amaritudinem, epigrammatū lusus] Insere copulam, *& epigramm*. 31

Sed tecum mihi Materne res est, quòd cum natura tua in ipsam arcem eloquentiæ ferat (forte *te ferat*) *errare mauis, & summa adeptus, in leuioribus subsistis*] Credam melius *adepturus*. Eadem criminatio supra: *Quod natus ad eloquentiam virilem & oratoriam, qua parare simul & tueri amicitias, adsciscere nationes, complecti prouincias possit, omittit studiū, quo* &c. 32

pag. 321. *Non paterer immanes illos ad pugnā natos lacertos leuitate iaculi aut iactu disci vanescere*] Velim sanè copulam addi, *immanes illos & ad pugnam* &c. 33

Cum præsertim ne ad id quidem confugere possis quod plerisque patrocinatur, tanquam minus obnoxium sit offendere Poetarum quàm Oratorum studium] Nescio quid in hac 34

lectione inconcinnum: nec dubito, quin auctor scripserit, *obnoxium sit offensa.*

35 *Sentio quid responderi possit: hinc ingentes ex his assensus, hinc in ipsis auditoriis praecipuè laudari, & mox omnium sermonibus ferri*] Defectum hîc Lipsius censet, & ante ea verba, *hinc ingentes*, asteriscum ponendum. Ego vero etiam superesse aliquid censeam, *ex his.* Nam quid hoc sibi vult, cúm iam dixerit *hinc.* Sed bene habet. Neque deest, neque superest quidquam. Ex hoc ipso, quod superfluere videtur, explendum, quod desiderari manifestum est. Muta, *existere*, & scribe: *Hinc ingentes existere assensus* &c. Nec dissimulo sic & Muretum coniecisse.

36 *Nobis satis sit priuatas & nostri saeculi controuersias tueri, in quibus expressis si quando*] Vocem *expressis*, non capio satis, nec quid ea faciam, scio.

37 c. XI. *Quae cum dixisset Aper acrius, ut solebat, & intento ore: remissus & subridens Maternus*] Dubito an potius *intentior.*

38 *Paraui, inquit, me, non minus diu accusare oratores, quam Aper laudat*] Forte, *laudauit* vel *laudare*. Nec tamen quidquam ferè interest.

39 *Fore enim arbitrabar, ut a laudatione eorum degressus detractaret Poetas, atque carminum studium prosterneret: arte quadam mitigauit, concedendo his qui caussas agere non possent, ut versus facerent*] Leuiter hæc hiant, quæ ita facile sarcias: *prosterneret: ad arte*

quadam

quadam mitig. Ceterum *detractaret* hoc significatu etiam infra: *Nunc detractasse nominatim antiquos oratores contentus.* Item: *Plures hodie reperies qui Ciceronis gloriam, quam Virgilii detractent.* Aliàs *obtrectare* pro eodem vulgatius. Item hîc infra: *Nam quod inuicem se obtrectauerunt.* Et Tacitus libr. 1. Annalium: *Non obtrectari à se vrbanas excubias.*

Et hodie si quid in nobis notitia ac nominis est] 40 Detrahe præpositionem *in*.

Non magis quam ara & imagines] L. *quam illa ara* &c. 41

Hæc eloquentia primordia, hæc penetralia: hoc primum habitu cultuque commoda mortalibus, in illa casta, & nullis contacta vitiis pectora influxit] *Commoda* non satis aptum. Et ex altera lectione *commodata*, facillimum emendare *commendata*, vt censuit & Muretus. 42

Nam lucrosæ huius & sanguinantis eloquentiæ vsus] Malit Lipsius, *saginantis*. vt ad lucrum & commodum saltem referatur, quo debere tantum ipse videtur inclinare. Ad eam vero mentem parum apta alterius vocis significatio. Ita est. Sed non ad sanguisugam eloquentiam auctor eâ voce respexit, sed prœliatricem: quia, vt & supra dixerat, & hîc repetit, *in vsum teli reperta* esset. Quo respectu aptissima ad sensum vox, nec quidquam immutandum. 43

Aureum sæculum & oratorum & criminum inops, Poëtis & vatibus abundat, qui bene- 44

t

facta canerent, non qui malè admissa defenderent] Manifestè legendum, *abundabat*. Sicque Muretus.

45 *Illud certè mihi concedis Aper*] Siue *concedes*.

46 *Plures hodie reperies, qui Ciceronis gloriam, quam Virgilii detractent*] Videatur deesse particula, *Quin plures hodie reperias*. Quamquam & sic satis integrum vulgatum.

47 pag. 322. c. XIV. *Cum Vipsanius Messalla cubiculum eius ingressus est, suspicatusq; ex ipsa intentione*] Possis, (& sic fortè rectius,) delere illud *est*.

48 *Adq; idipsum delectat, quod vos viri optimi & temporum nostrorum oratores non forensib. tantum negotiis* &c.] Languet sensus: quem roboro traductione vocis *optimi*. *Quod vos viri & temporum nostrorum oratores optimi*. Nisi placeat magis cum Mureto vocem eandem geminare: *quod vos viri optimi, & optimi temporum nostrorum oratores*. Sententia quidem alterutrum desiderat, cui non dissimilis ista ad finem: *Credite optimi & in quantum opus est disertissimi viri*.

49 *Sed eiusmodi etiam disputationes adiungitis, quæ & ingenium alunt & eruditionem: & litterarum iucundissimum oblectamentum afferunt* &c.] Non displicet mihi, quod Lipsio placet, cum Rodolpho legere, *quæ & ingenium alunt, & eruditionis & litterarum iucundiss.* &c. Magis tamen placeat meum, *quæ & ingenium alunt eruditione, & litterarum iucundissimum oblect. afferunt*.

C. XV. *Cum &c. neminem hoc tempore oratorem esse contenderes. Antiquis eo credo audacius, quod maligni in iis opinionem non vereberis, cum eam &c.*] Dupliciter hîc diuinat Lipsius. Aut vocem inserit; *Oratorem esse contenderes parem antiquis.* Aut, si id displiceat, legit: *contenderes. Atque id eo credo audacius* &c. Prius sanè mihi non placeat: quia sensus existit contra mentem eius qui dicit. Non enim negabat ille alter, parem antiquis oratorem eo tempore, sed planè oratorem quemquam esse. Id quod initio etiam huius libelli ponitur: *Nostra potissimum ætas deserta & laude orbata vix nomen ipsum oratoris retineat. neque enim ita appellamus nisi antiquos: horum autem temporum diserti, caussidici & aduocati, & patroni, & quiduis potius quam oratores vocantur.* Aliàs si illa esset sententia, paullò aliter ipse conieceram: *Oratorem esse contenderes, quem contenderes antiquis: eo credo audacius* &c. vt in diuerso verbi significatu auctor luserit, & peccatum fuerit, quod facile & frequens vbique, occasione iterationis istius, quam neglexerint per incuriam descriptores. Sed nec altera Lipsii coniectura satis placet, etsi ad sensum quidem idonea: Nescio tamen, quomodo oratio & simplicior & gratior absque tali additione, *atque id.* Mihique pænè persuasi, delendam planè turbatricem vocem *antiquis*, quæ & vnde irrepserit, videor prope inuenisse.

Addiderat aliquis imperitus ad ea verba, *in iis*, glossam ineptam, *antiquis*. ea postea superiori lineæ ineptius ab alio imperito inserta. Et quidem illa ipsa verba, *in iis*, nullus ego capio. Quos enim vult dicere? aut quos nominauit, de quibus nunc intelligat? Corrupta profecto iudico, & eorum loco scribendum, *iudicis*, eleganti & facili mutatione. vt iam totus locus sic perpurgatus videatur: *Cum neminem hoc tempore oratorem esse contenderes: eo credo audacius, quod maligni iudicis opinionem non verebaris, cum eam gloriam, quam tibi alii concedunt, ipse tibi denegares.*

51 pag. 323. *Et quod quibusdam solatio est, mihi auget quæstionem*] Lege: *Solatio.*

52 *Vt longius absit Æschine & Demosthene Sacerdos iste Nicetes.*] Ad astruendum nomen Nicetæ Sacerdotis locum inter alios & Senecæ Patris è libro IX. Controu. II. adfert Lipsius: *Nec Iulio nec alii contigisse suo, quam apud Græcos Niceta, apud Romanos Latroni, vt à discipulis non audiri desiderarent.* Adfert, & emendat, *Nec Vibio, nec alii contigisse scio.* Malè. Legendum enim, *Nec vlli alii contigisse scio.* Similis locus apud Senecam Controu. III. præfatione: *Hi non tantum disertissimis viris, quos paullo ante retuli, sed etiam Ciceroni Cestium suum præferrent, nisi lapides timerent. Quo tamen vno modo possunt, præferunt. Huius enim declamationes ediscunt: illius orationes non legunt, nisi eas quibus Cestius rescripsit* &c.

C.XVII.

C. XVII. *Atque ipsum Galbæ, & Othonis, & Vitellii vnum annum*] Ex turbis vulgatarum editionum in voce *vnum*, suspiceris addititiam ipsam esse; & glossam illius *ipsum*: quæ sola integrum vnum annum exprimit eleganter. quamquam nec ineleganter altera adiungitur. 53

Qui se fateretur & pugnæ interfuisse, qua Cæsarem inferentem arma Britanniæ arcere litoribus & pellere aggressi sunt] Lego *ei pugnæ*. Et Muretus. 54

pag. 324. *Nec diuidatis sæculum, & antiquos ac veteres vocetis oratores, quos eorundem*] Clarior & expressior erit conclusio hæc, si *ne* scribas, & cum superioribus alia interpunctione velut nectas: *Nam Coruinus in medium vsque Augusti principatum, Asinius penè ad extremum durauit: ne diuidatis sæculum* &c. 55

C. XVIII. *Et quos vtinam imitatus non esset Caluus vester aut Cœlius, aut ipse Cicero?*]. Dele, ? & fac, ! Ceterum Muretus notauerat vberiorem lectionem: *& quos vtinam ne in illa parte imitatus esset Caluus vester*. nescio de ingenio, an è libro. credas è libro: sed vnde vnde, malè. repetitæ voces ex simili inferiore loco: *Nec quemquam adeò antiquarium puto, vt Cælium ex ea parte laudet, quâ antiquus est.* 56

Num dubitamus inuentos, qui pro Catone Appium Cæcum magis mirarentur? Satis constat nec Ciceroni quidem obtrectatores defuisse] 57

Muretus, *Numnam*; quia vulgò, *Nam non*. Ego de hoc non laboro: magis vt sequens membrum cum hoc ipso nectam. Nam multò videtur oratio concinnior, si scribas in hunc modum: *Num dubitabimus inuentos, qui pro Catone App. Cecum magis mirarentur, cum satis constet, nec Ciceroni quidem obtrectatores defuisse?* &c.

58 cap. XIX. *Nam quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis constituere solent, quem vsque ad Caßium Seuerum faciunt, quem primum affirmant flexisse ab illa vetere atque dicendi via directa: * non infirmitate ingenii, nec inscitia litterarum transtulisse se ad id dicendi genus contendo, sed iudicio & intellectu*] Muretus vocabula aliquot transponit saltem: *ab illa vetere atque directa dicendi via.* At ego defectum quoque tollam leui traductione pariter mutatione voculæ vnius. Lego, *quem primum affirmant flexisse ab illa vetere dicendi via directa, vtiq; non infirmitate ingenii* &c.

59 *Cum conditione temporum ac diuersitate aurium*] Muretus *auditorum* maluit, nullâ insigni caussâ: nisi quod in vulgatis reperiebat *autorum*.

60 *Facile perferebat prior iste populus, vt imperitus & rudis, imperitißimarum orationum spatia*] Non arridet *imperitissimarum*. Nec adhuc probo Mureti, *impeditissimarum*. Quæro aliud.

Ita

Ita vero longa principiorum praparatio] Lege, 61
Iam vero.

At hercule peruulgatis iam omnibus, cum 62
vix in cortina quisquam assistat, qui elementis studiorum etsi (Lego *si*) *non* &c.] Vide quæ de hoc loco seorsim in schedula adiuncta notauerim tum, cum eandem coniecturam iam olim fecisse Muretum, vt *corona*, & *quin* legeretur, adhuc ignorarem. Ea sunt sequentia:

De hoc loco quam diuersæ opiniones. Scaliger, Coniectaneis ad Varronem, *Cortinam* interpretatur τρίποδα & λέβητα. Ea est " propriè, inquit, in qua lana suffecta succos e- " bibit. Ab eo vsus est metaphora Cornel. " Tacit. in Dialogo cum ait in cortina esse. Sed fucum nobis facit Scaliger. *In cortina esse* huic quomodo conuenit *in cortina assistere*? " Id contrarium est ei, quod Græci δευσοποιὸν vo- " cant. Quæ enim in cortina sunt, nondum penitus imbiberunt succum. Hoc quam absurdum sit ad hunc locum nemo non videt. Lipsius: Non aliud ceperim, quam subselliorum " iuxta tribunal locum, in quo non aduocati so- " lum, sed scribæ, præcones, atque id genus " operæ forenses consistebant. Seuerus in " Ætna pro theatri incurua parte dixisse vide- " tur:

— *magni cortina theatri.*

Lipsius nihil probat de loco subselliorum iuxta tribunal, cur & vnde & à quo item *cortina* dictus fuerit. Palmerius, vbi Petronii locum emendat:

Interdum subducta foro det pagina cursum,
Et fortuna sonet celeri distincta meatu.

,, legit *Et cortina sonet.* Additque: *Cortinam*
,, *theatri*, Seuerus quoque dixit in Ætna. Sed
,, & *Cortinam*, locum in quo dicatur, Cornel.
Tacitus. Hîc locum recitat. Mox subdit:
» Nisi cortinas vilium operarum intelligit. A-
» cutius quidem & plausibilius enarrari eum
» Taciti locum, vt item verius sit, non putem
posse. Ad marginem addidit: Atque id viri docti faciunt. quibus verbis Lipsium puto designat: qui Seueri eundem locum de theatri cortina adduxerat, nec tamen ad explicationem huius, de quo controuertitur, loci traxerat. Ipsius autem Palmerii inconstantiam vides, qui modo ad theatri cortinam accommodat, modo per se locum, in quo dicatur, accipit, denique ad cortinas vilium operarum confugit. Pædianus Coronam populi in caussis audiendis interpretatur, quod circum subsellia iudicum coronam faceret. At vero illorum istæc omnia nihil huc omnino pertinere videntur. Et quis est, qui tam coactas & violentas interpretationes probet? De cortina Theatri sanè aliquid est: quam Seuerus non ineleganter de ea parte theatri, quæ incurua & semi paullove amplius rotunda. Dicta enim Cortina (ut eruditè Scaliger ad Varronem eo, quo supra, loco) à rotunditate, quod vt cortes, ita hæc rotunda esset. Quam ob caussam & pro lebete Cortina, quia & ipse

rotun-

rotundus, siue ὁλοοίτροχος. Verum si hunc locum, (vt omittam Petronii: cui illa vox æquè incommoda) penitius introspiciamus, parum id herclè accommodatum. Quid enim oratoribus, declamatoribus, recitatoribus cum theatro? Quoquo te verteris, quam diu hanc vocem retines, nunquam erit vt non offendas. At eâ leuissimè mutatâ, quàm facilem, quàm expeditum, quàm commodum sensum efficies? Non dubitabis, quin verum denique sit non *Cortina*, sed *Corona*. Contra *Cortina* forte legendum pro *Corona* apud Sidon. Apollinar. libro VII. Epistol. *Quandoquidem me* &c. *De minimis videlicet rebus Coronam tuam maximisque consulerem. Cortinam* hîc esset oraculum tuum. Tamen ibi scribit ad Papam: cui nescio si iam tum Corona. Imò non fuisse scio, quam Clodouæus Francorum rex Hormisdæ Papæ primus donauit, anno post Christum natum IↃXIV. quando Sidonius ante annos XXXIV. iam obierat; anno videlicet Christi CCCCLXXX.

cap. XX. *Traduntque inuicem, ac sæpe in colonias ac prouincias suas scribunt, siue in suis aliquis arguta & breui sententia effulsit, siue locus exquisito & poëtico cultu enituit*] Quis ille *aliquis?* non magis capio, quam qui intelligantur sub his verbis *in suis*. Omnino vox aliqua latet: quam feliciter cum Mureto ex illis ipsis *in suis* eruo, legendo, *sensus*. *Siue sensus aliquis argutus* &c. Nec te moueat *sensum* & *sententiam* velut diuersa iungi. Diuersa sunt, vt ex 63

aliis huius libelli locis potes intelligere: *Et illud tertio quoque sensu in omnibus pro sententia positum.* Item: *In paucissimos sensus & angustas sententias detrudant eloquentiam* &c.

64 c. XXI. *Nec vnum de populo. Canuti * aut Aride Furnio & Toranio, quique alios* (Muretus, *quique alii in eod.*) *in eodem valetudinario hac ossa & hanc maciem probant.*] Desperatus sine libris locus: quamquam sententiam sanè facile odoramur: propria tantum nomina restituere ex ingenio nequimus. Canutius an ille, cuius mentio apud Suetonium de claris Rhetoribus in Epidio? Verba eius: *Docuitque inter ceteros M. Antonium, & Augustum, quibus quondam C. Canutius obiicientibus sibi, quod in Republ. administranda potissimum Consularis Isaurici sectam sequeretur, malle, respondit, Isaurici esse discipulum, quam Epidii calumniatoris.* Vbi emendo, traiectione vocis *Consularis: potissimum Isaurici sect. seq. malle, respondit, Isaurici Consularis esse discipulum, quam* &c. Sed ad alia Taciti. quæ sic possumus emendare, *quique alii in eodem valetudinario hac ossa & hanc maciem produnt: ipse mihi Caluus* &c. Ait, se non aliquem vilem & vulgarem ex vetustate Oratorem in exemplum allaturum, vti hunc vel illum, in quibus carpere multa possit: sed ipsum Caluum inter principes antiquorum. Possis etiam, *quosque altos in eodem valetudinario hac ossa & hac macies probant.*

Quatus

Quotus enim quisque Calui in Asitium, aut in Drusum legit?] Lipsius dubitanter, *Asinium*. Muretus, *Ascitium*. quem non noui. 65

At herculein hominum studiosorum manibus versantur accusationes, quæ in Vatinium inscribuntur] Certò legendum *omnium*. Etiam præpositio *in* abiicienda fortassis: *At hercule omnium studiosorum manibus versantur*. vt Horat. 66

— vos exemplaria Græca
Nocturnâ versate manu, versate diurnâ.

Nec voluntatem quin sublimius & cultius diceret, sed ingenium ac vires defuisse] Excidit forte vocula, *Nec ei voluntatem*. vel, *Nec voluntatem ei* &c. 67

*Quid ex Cœlianis orationibus? nempe hæ placent, siue in vniuersa *parte factum in quibus nitorem & altitudinem horum temporum agnoscimus*] Modii lectio valde Lipsio placet, quæ hęc: *hæ placent, si non vniuersæ, per partes attamen*. Mihi, vt verum fatear, non admodum. Ne mea quidem magis, quam olim extricaui, *si quæ in vniuerso opere saltim*. Illa non displiceat, quæ nunc nuper mihi nata, *si non vniuersæ, parte saltim*. Denique nulla præ hac placeat, quam nunc ipsam ex libri scripti lectione efformamus. Liber scriptus Lipsii habuit, *siue vniuersa parte serum*. Hinc proximè seruatis vestigiis facio, *si non vniuersæ, at partes earum*. Porrò *altitudinem* olim etiam mutabam in *lætitudinem*, quia aliis locis *lætitiam* & *nitorem* auctor iungeret. Vt paullo pòst: *Quia* 68

non per ipsum stetit, quominus lætitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret. Item paullo superius: *Auditor assueuit iam exigere lætitiam & pulchritudinem orationis, nec magis perfert in iudiciis tristem & impexam antiquitatem.* Nunc relinquo. Nam & *sublimitatem* & *cultum* itidem iungit paullò ante: *Nec voluntatem, quin sublimius & cultius diceret, sed ingenium ac vires defuisse.* Et hic auctor *latitudinem* pro *lætitia* veterum more nequaquam dixerit. Nullo autem modo amicum meum quendam audio, qui *nitorem & habitudinem* volebat reponi. vt habitudinem & nitorem bene curati corporis respexerit, ad Horatianum exemplar:

Me pinguem & nitidum bene curata cute vises.

Et Terent. Eunuch.

Qui color, nitor, vestitus, quæ habitudo est corporis?

69 *Vt propter magnitudines cogitationum & occupationes rerum, minus eloquentia effecerit, quam diuinum eius ingenium postulabat*] Lego, *minus in eloquentiâ effecerit.* Sic inferius: *Quicquid in eloquentia effecerit.* Et superius: *Sicut in caussis agendis efficere aliquid & eniti fortasse possum.* Modius ex Roman. codice hîc pro *Cogitationum, Cognitionum* legit. Non audio. Nam Velleius libro II. etiam sic de Cæsare: *Magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientiâ periculorum, Magno illi Alexandro simillimus.*

Nisi

Nisi forte quisquam aut Cæsaris pro Decio 70
Samnite, aut Bruti pro Deiotaro rege, ceterosq;
eiusdē lentitudinis ac teporis libros legit, nisi qui &
carmina eorundē miratur] Lege *nisiq; & carm.*

Sed temperatus ac bonus sanguis implet mem- 71
bra & exurgit toris, ipsos quoq; neruos rubore te-
git, & decore commendat] Melius *ipsosq; neruos*,
quomodo & Muret.

Viderimus, inquam, indicio eius vis aut animi 72
aut ingenii suffecerit] Lipsius, *viderimus, inquā,*
an iudicio &c. Mur. pro ipso *inquam*, saltem *an*
rescribit. Mihi lectio marginalis, *in quantum*,
proba: sed vt simul & *videmus* scribatur, & per
copulam membrum hoc superiori nectatur:
Quia non per ipsum stetit, quominus lætitiam ni-
toremq; nostrorum temporum exprimeret: & vi-
demus, in quantum iudicio eius vis aut animi,
aut ingenii suffecerit.

C XXII. *Locosq; latiores attentauit, & quasdam* 73
sententias inuenit] Malim cum Mureto, *locos*
quoq; latiores.

Postquam magis profecerat, vsuq; & experi- 74
mentis didicerat, quod optimum dicēdi genus est]
Concinnitas orationis requirere videtur, *quod*
optimum dicendi genus esset. At sententiæ veri-
tas vult, *quod optimum dicendi genus est*. Vsus e-
nim optimus magister omnium rerum: & vsu
discere, *optimum discendi genus*. M. Varro lib. I.
Rei rusticæ: *Experientia & vsus dominantur in*
artib. Cic. de orat. *Vsus omnium magistrorum*
præcepta superat. Plin. li. XXVI. *Vsus efficacissimus*
rerum omnium magister.

75 *Pauci sensus opt: & cum quodā lumine terminantur*] Lips. coniiciebat, *opacius & cum quod*: vt ad picturā respectus sit, in qua lumē nos delectat, sed cū quâdā vmbrâ. Mihi color hic hoc in loco non pbatur. legerim potius: *pauci sensus aptè, & cum quodā modulamine terminātur*. Aperte n. de numeris loqtur, quos veluti modulatos requirūt rhetores in clausulis periodorū.

76 *Quadam verò procul arceantur; vt iam oblitterata & olentia*] Non reprobo *olentia*. Sed magis hic sanè probē: *oblitterata & exoleta*. Ceterū quę sunt illa *quadā*, quę procul iubet arceri? Odoror trāspositionē, quā & corrigo: *vt sumere in manus, & aspicere sapius libeat; nullū sit verbū velut rubigine infectū, quadā verò procul arceātur, vt iā oblitterata & exoleta: nulli sensus tardâ & inerti structurâ; in morē Annal. cōponantur*.

77 c. XXIII. *Et illud tertio quoq; sensu in omnibus pro sententia positum*] Muret. addit *in omnibus orationibus*. aptissimè.

78 *Nam & hoc inuitus retuli, & plura omisi*] Melius, *hac*. Sed caue censeas tum Lipsio pro *inuitus*, *inuitatus* ex Rom. codice legi etiam posse.

79 *Quibus eloquentia tui Aufidii Bassi aut Seruilii Noniani, ex comparatione Sisenna aut Varronis sordet*] Non video qui locus esse queat isti, *tui*. Delerim, tanquam natum ex vltima proximè præcedentis vocis syllaba.

80 *Adeo masti & inculti; illam ipsam, quam iactant sanitatem infirmitate & ieiunio consequuntur*] Rodolphi lectio non vsquequaq; vera, *vt illam ipsam, quam iactant, sanitatē non infirmitate,*

tate, sed ieiunio consequatur : sed quę nos ad veram quasi manu duxit. Certè enim sententia requirit, *non firmitate, sed ieiunio*. De insertione particulæ *vt* susq; deq; habeo: quin propius est, vt addi nolim.

Porrò ne in corpore quidem valetudinem medici probant, quæ animi anxietate contingat] Mẽs in postremis hisce rei non apta. Sententia loci totius sic postulat, *quæ tantum sine anxietate cõtingat*. Clarissimũ id ex statim sequentibus: *Parũ est ægrum non esse, forte & lætũ, & alacrẽ volo.* 81

Vos verò disertissimi, vt potestis, vt facitis, illustrate sæculum nostrum] Vix abest, quin vox *viri* absit: *Vos verò disertissimi viri, vt potestis* &c. 82

Ita grauitati summum nitorẽ, & cultum verborum misceti] *Summum* vix sincerũ. Neq; affirmare habeo recténe *sensuum* reponatur. 83

pag. 327. c. XXIV. *Nec quenquam nostrorum, quanquam modo laudati sumus, his quos insectatus est Aper, comparamus*] Siue potius, *nostrũm*. 84

Sed more veteri & aliis vestris philosophis sæpè celebrato] Lips. *aliàs à vestris*. nihil opus addi τὸ *a*. Sed τὸ *vestris* demi, quod Mur. voluit, nullo modo debet. Alloquitur Messallam, qui philosophiæ studio deditus. Infra ipse de se: *Me dum iuris & philosophiæ scientiam tanquam oratori necessariam laudo, ineptiis meis plausisse.* 85

Exprime nobis, non laudationẽ antiquorum] Lego, *Exprome*. 86

c. XXV. *Tanquã parùm propriè antiqui vocarẽtur quos satis constat ante C. annos fuisse*] Mur. *intrà* sua quadã ratione: sed quã nõ omnino sequor. 87

88 *Ne illi quidem parti sermonis eius repugno, si comminus fate ur, plures formas dicendi, etiã iisdem seculis, nedũ diuersis extitisse*] Pithœus non mihi satisfacit, *si communius fatetur*. Quid enim est *communius fateri?* Ego mancũ aliquot verbis locum censeo etsi olim etiam abundare putaui. Nam quia in vulgatis reperiebã, *si quo minus*, ex *quo*, *qua* faciebam: reliquum, *si minus* delebam, vt ex iteratione vocis *sermonis* natum. Sed potius est, vt aliquid desideretur. Verbum quidem *fatetur*, minimè conuenienter de Apro dicitur; diceretur conuenientius de ipso Messalla. Ille enim id cõtendebat, & probabat: hic quodammodo concedit & fatetur. Et forsitan absq; lacunæ suspicionẽ, locus in eam sententiam ita restitui potest: *Ne illi quidem parti sermonis eius repugno, quin omnes fatemur, plures formas* &c. Habeo alias etiam de hoc loco & varias coniecturas, sed proponi nulla earum digna.

89 *At strictior Caluus, numerosior Asinius*] Lego vnâ voce, *adstrictior*.

90 *Omnes tamen eandem sanitatem eloquentiæ ferunt*] Sententia vult *præferunt*: atque ita scribo. tamen Tacitus IV. Histor. *Quos spiritus gessisset, vultu ferebat*. item II. Hist. *Lætitiam & gratulationem vultu ferens, animo anxius.* Paullò tamen in Tacito isthic alia res & ratio est, quia *vultu* additur.

91 *Vt si omnium pariter libros in manus sumpseris, quamuis in diuersis ingeniis esse quandam iudicii ac voluminis similitudinem & cogitationem*]

nem] Bene Lipsius è libro explet, & ex ingenio emendat; *in manus sumpseris, scias quamuis in diuersis ingeniis e. q. iudicii ac voluntatis similitudinem & cognationem.* Sed mihi primum vox *voluntatis* restituta in hac iudicii re non probatur. Deinde cum Mureto multo malim *sentias* inserere, quàm *scias*. Deniq; sic locum quà à me quà ab aliis perpurgatum legerim: *Vt si omnium pariter libros in manus sumpseris, sentias, quamuis in diuersis ingeniis, esse quandam iudicii nihilominus similitudinem & cognationem.*

Et supersunt aliqua epistolis eorum inserta, ex quibus mutua malignitas detegitur] Deleam *ex.* quod si posuit auctor, verbum sequi debet, non *detegitur*, sed *deprehenditur*. 92

c.xxvi. *Quodq; vix auditu fas esse debeat, laudis & gloria & ingenii loco pleriq; iactant*] Mur. aliquantò melius, *debebat*. 93

pag. 328. *Ego autem expectabam, vt incusato Asinio, & Cœlio, & Caluo, aliud nouum agmen produceret*] Melius Romanus codex habuit *nobis*. quod probat, imò requirit sequens verbum, *opponeremus*. 94

c.xxvii. *Appropera, inquit Maternus, & potius exsolue promissum*] Lego, *otius*. 95

Sed caussas exquirimus, quas te solitũ tractare, paullo antè, planè mitiore eloquentia, & temporum nostrorum, * *miratus, antequàm te Aper offenderet maiores tuos lacessendo*] Testatur Lips. in quodam libro inserti, *paullò antè dixisti.* rectè. Verum locus tamẽ adhuc in graui mendo. Egò legerim: *quas te solitum tractare paullò ante di-* 96

V

xisti, planè mitiore eloquentia, & temporum nostrorum (scilicet eloquentiam) *imitatus, antequam te Aper* &c.

97 C. XXVIII. *Non reconditas Materne caussas requiris, nec aut tibi ipsi, aut huic Secundo, vel huic Apro ignotas, & iam mihi partes assignatis proferendi in medium, quæ omnes sentimus*] Lipsius vult, *etiãsi mihi*. Ego malim, *sed tantũ mihi* &c.

98 *Et ceteras artes desciuisse ab ista vetere gloria*] Muret. notauerat *illa*. Leue, sed nec spernendum.

99 *Ego de vrbe & his propriis ac vernaculis vitiis loquar*]. Credam melius, *Ergò*: quia præcessit, *nostra nobis notiora sunt*.

100 *Ac nõ studia modo curasq;, sed remissiones etiã lususq;*] Legendum, *Hæc*. Quod vidit & Muret.

101 pag. 329. c. XXIX. *Nec præceptores quidẽ vllas crebriores cum auditoribus suis fabulas habent?*] Dele interrogationis notam.

102 *Colligunt enim discipulos non seueritate disciplinæ, nec ingenii experimento, sed ambitione salutantium, & illecebris adulationis*] Lego *salutationum*. Illud ad alios referretur præter mentem; hoc de ipsis præceptoribus, vt debet, accipietur.

103 *Nec in notitiam vel rerum, vel hominum, vel temporum satis opera insumitur*] Concinnius hîc *notitiâ*. quia eo casu præcessit, *in auctoribus cognoscendis; in euoluendâ antiquitate*.

104 *Quorum professio quando primum in hanc vrbem introducta sit, quamq; nullam apud maiores nostros auctoritatem habuit, statim de * auriis*] Nec

Nec Lipſii ἐλλειπτικὸν, *ſtatim decurſis his*; nec Rodolphi, *ſtatim docuero*; nec Pithœi, *ſtatim audietis*, ſatisfacit. Vt enim horum ſenſum rectè explicant, ſequentia non cõmodè nectunt. Mea lectio vtrumq; præſtabit: *quamq; nullam apud maiores noſtros auctoritatem habuerit, ſtatim dicam. prius referã neceſſe eſt animũ ad eam diſciplinam* &c. dicit poſt aliquot paginas, ſed breuiter: *quos paullò ante Ciceronis tempora extitiſſe, nec placuiſſe maiorib. noſtris ex eo manifeſtum eſt, quòd Marco Craſſo & Domitio Cenſoribus, cludere, vt ait Cicero, ludum impudentiæ iuſſi ſunt*. De cetero non incommodè duæ illæ voces, *animum ad*, omitterentur; vt legeretur, *prius referam neceſſe eſt eam diſciplinam*. Sed ego non tam audax, cum ferri etiam poſſint, vt eiiciam.

c. xxx. *Ille dialecticã ſubtilitatem, ille moralis* 105
partis vtilitatem] Suſpecta mihi vox *vtilitatem*. Nã neſcio quid aliud, quo natura moralis partis deſcribatur, exſpecto, eum prorſus in modũ, quo *ſubtilitatem* dialecticæ tribuit. Eadem vox etiam paullò inferius item ſuſpecta, ſed leuius; in definitione oratoris: *pro dignitate rerum, ad vtilitatem temporum*. Et ſanè etiam ſuprà peccatum in eâdem: vbi *nobilitatem* pro *vtilitatem* emendabamus.

c. xxxi. *Non vt Rhetorum ſcholis declama-* 106
rent] Addenda fortè præpoſitio, *vt Rhetorum in ſcholis*, vel, *vt in Rhetorum ſcholis*.

Nã in iudiciis ferè de æquitate, in deliberatio- 107
nib. de honeſtate dicimus] Omittit, malè opinor,

tertium caussarum genus. Nec sanè in deliberationib. potissimũ de honestate agitur. Muret. ergo insitione valde aptâ legebat, *nam in iudiciis ferè de æquitate, in deliberationibus de vtilitate, in laudationibus de honestate dicimus.* Ego acceperim: & porrò etiam particulam inseruerim, *dicimus, sed ita, vt plerumq; hæc ipsa inuicẽ misceãtur.* siue, *dicimus, ita tamẽ, vt plerũq;* &c.

108 pag. 330. *Sed eum qui nõ quasdã artes audire, sed oẽs liberaliter debet*] Languidum nimis Lipsii *adire.* Ego quod in margine positũ recipio, *haurire.* Sed recipio non hunc ipsum in locũ, è quo verbi aliud quid periisse mihi non temerè suspicio est, vti nec infeliciter idem me reperisse credo. Periit meo animo verbum *libare*, cognatione illius *liberaliter*. Eo reposito, & transposito altero, sic scribo: *qui non quasdam artes libare, sed omnes haurire liberaliter debet.* Ante hæc verba, suspecta mihi proxima vox *ciuitatem.*

109 c. XXXII. *Vt legitimè studuisse, vt per omnes eloquentiæ numeros isse, vt deniq; oratorem etiam fateatur*] Mur. pro *etiam*, *esse* supponebat. Valde probo, etsi nec alterum improbo.

110 *Vt in actionibus eorum sex quoq; cotidiani sermonis, fœda ac pudenda vitia deprehendantur*] Si *sex* retinendum, velim scribi: *fœdo ac pudẽdo vitio deprehendatur.* Aliàs malim: *vt in actionib. eorum ferè quoq; cotidiani sermonis fœda ac pudenda vitia deprehendantur.* Prius credo fore elegantius.

111 *Et Cicero his, vt opinor, verbis, quidquid in eloquentia effecerit, id se non Rhetorum, sed Aca-*

demia

demiæ ſpatiis conſecutũ] Mur. pro *id*, ſupponit, *ait*. Non quidem libenter *id* mutari patiar, verbum tamen eiuſmodi deſideratur, quod nõ incõmodè ex illo efformatur. Ad hoc leue leuius addam: præpoſitionem etiam videri inſerendã, vt & paullò ante monuimus: *nõ in Rhetorũ* &c.

pag. 331. c. XXXIII. *Quanquam ipſis artib. ineſt exercitatio, nec quiſquã percipere tot reconditas aut tam varias res poteſt, niſi vt ſciẽtiæ meditatio, meditationi facultas, facultati vis eloquentiæ accedat*] Mur. vnâ voculâ auctius *tot, tam reconditas*. Ego etiam vnâ deinceps breuius. Delerim enim particulum *vt*, cuius nullus vſus nunc: ſed fuiſſet, ſi ita præceſſiſſet, *nec quiſquã aliter percipere* &c. Ad extremum in fine pro *vis*, ſententia me cogit, vt *vſus* reponam. 112

c. XXXIV. *Ita nec præceptor deerat optimus quidẽ & electiſſimus*] Lego, *ſã verò*. Qua in trãſitionis formula & aliàs ſupra peccatũ monſtrauimus. 113

c. XXXV. *At nunc adoleſcentuli noſtri deducuntur in ſcenas ſcholaſticorũ, qui Rhetores vocãtur*] Lipſius: Diuinabam olim, *ſcholas*. malè. Nam appoſitè ſcenas appellat loca, in quib. fucata illa & perſonata eloquẽtia exercetur, velut per luſum. At verò *ſcenam* Plinius lib. VII. epiſt. XVII. pro loco etiam vſurpauit, vbi cauſſæ aguntur veræ & feriæ: *Vtiq; ſi latior ſcena, & corona diffuſior*. & quæ præcedunt. 114

pag. 332. *Nã in loco nihil reuerentiæ, ſed* (fortè *ſcilicet*) *in quem nemo, niſi imperitus æquè intrat*] Deleuerim *ſed*, nulli hîc rei. Niſi fortè ſcribendũ: *Nam in loco nihil reuerẽtiæ eſt; in quem* &c. 115

116 *Ex iis suasoria quidem etsi tanquam planè leuiores, & minus prudentiæ exigentes pueris delegantur*] Manifesto delendum *etsi*: quod nec in Mureti libro comparebat.

117 *Sequitur autem vt materiæ abhorrenti à veritate declamatio quoq; adhibeatur*] Deesse vox videtur: *Declamatio quoq; par*, vel *similis*, vel *talis adhibeatur*.

118 *Ingentib. verbis persequantur: cum ad veros iudices ventũ est * rẽ cogitare, nihil humile, nihil abiectũ eloqui poterat*] Magna sanè hîc lacuna, vt Lips. ostendit: quã tamen non ibi incipere, vbi & ipse credidit, & liber ipsius ꝓdidit, ego, si mihi fas dissentire, senserim. Non n. esse inter ea verba, quibus asteriscum interposuit, sequẽtia patiuntur: quæ his sententiâ cohærent, sed si emendentur prius, vt nos diuinauimus. Lego cõtinuo sensu: *Sic fit, vt Tyrannicidarũ præmia, aut vitiatarũ electiones, aut pestilentiæ remedia, aut incesta matrum, aut quidquid in schola cottidiè agitur, in foro vel rarò, vel nunquã; ingentib. verbis persequãtur: cũ ad veros iudices ventũ est, nihil in rẽ cogitare, nihil nisi humile, nisi abiectum eloqui possint*. Post hęc iam initiũ ingẽti defectui illi, & hîc eius nota reponenda: de quo tamẽ eruditos, & elegãtes iudicare pri⁹ diligẽter volo.

119 C. XXXVI. *Ita ad summa eloquentiæ præmia magna etiam necessitas accedebat, & cõmoda*] Mur. hæc ita transponebat: *ad summa eloquentiæ præmia & commoda, magna etiam* &c. Non malè ille: sed melius nos, qui suo loco relinquimus, & cum sequentib. istis nectimus: *Disertũ haberi pul-*

pulcrum & gloriosum, sed contra mutũ & elinguẽ videri deforme habebatur. Lego inq̃: *Ita ad summa eloquẽtiæ præmia magna etiã necessitas accedebat: & quomodo disertũ haberi pulcrũ & gloriosũ, sic cõtra mutũ & elinguem videri deforme habebatur.* qua lectione fieri nihil elegãtius potest.

pag. 333. c xxxvii. *Catilina & Milo, & Verres, & Antonius hanc illi famã circũdederunt*] Phrasis ista Tacito valdè familiaris. iv. Hist. *Erãt qui principatus inanẽ ei famã circumdarẽt.* xiv. An. *Nec ulla moribus corruptis olim plus libidinum circũdedit, quam illa colluuies.* xvi. Ann. *Segnes & pauidos supremis suis secretum circumdare.* Iterum iv. Hist. *planctum & lamenta, & supremorum imaginem sibi circumdatam.* In vita Agricolæ: *Egregiam famam paci circumdedit.* 120

Nam quo sæpius steterit tãquam in acie, quoq; plures & intulerit ictus, & exceperit, quo maior aduersarius, eò acrior qui pugnas sibi asperas desumpserit, tantò altior & excelsior, & illis nobilitatus criminib. in ore hominũ agit, quorum ea natura est, ut secura nolint] Aliquid hîc esse vlceris Lipsius ait, sed curationi manum non adhibet. Ego traductione (perturbatus n. verborũ ordo est) spero me persanaturũ: *Nam quo sæpius steterit tanquã in acie, quoq; plures & intulerit ictus & exceperit, eò acrior; quo maior aduersarius, tantò altior & excelsior, qui pugnas sibi asperas desumpserit, & illis nobilitatus discriminibus in ore hominũ agit.* Quę sequũtur iã auctiora Rodol. ita legebat: *quorũ ea natura est, ut dubia laudẽt, secura nolint.* Quod valdè probat Lips. tanquã 121

aptissimum ad sensum. Mihi verò multò aptius pariter & acutius videatur, *ut dubia laudent, secura malint*. Ea n. hominum natura vt securum se quisq; velit, periculosa tamen, & qui ea subeunt, laudib. ferant. Pro *discriminib.* an potius *certaminibus?* Nisi fortè *criminibus* pro eodem est. Vt & Sueton. Caligula cap. XLV. *Populumq́ grauissimo obiurgauit edicto, quod Cæsare prœliante, & tantis criminib. obiecto, intempestiua conuiuia, circum & theatra, & amœnos secessus celebrarent.* Aut ibi quoq; emendandum *discriminibus*. Omninò sic & Tiberio c. II. *Velut iterum illudens crimini publico.* Libri Veteres rectè, *discrimini.*

122 C. XXXVIII. *Transeo ad formā & consuetudinē veterum iudiciorum: quæ etsi nunc aptior est ita erit eloquentia, tantò illud forū magis exercebat*] Nescio quid Mur. hîc voluerit, qui notauerat: *quæ etsi nunc aptior est, at certè eloquentia: tamen illud forū magis* &c. Nihil in his sensus. At Lips. Rodolphi siue lectionem, siue coniecturā amplectitur: *quæ etsi nunc aptior est veritati, eloquētiam tamen.* Amplectar & ego, sed in parte. Nā illud non possum, *aptior est veritati.* Pro quo ipse restituo proximè ad vulgatæ lectionis vestigia: *aptior existimatur*, vel, *existimetur.*

123 *Ita tamen vt omnia in foro, omnia in legibus, omnia apud prætores gererentur*] Lego, *omnia legibus, omnia apud pratores gererentur.* spretâ præpositione.

124 *Apud quos quantò maiora negotia olim exerceri solita sunt, quod maius argumentū est*] Lego, *sint.*

c.XXXIX. *Paruum & ridiculū fortaſsè videtur, quod dicturus ſum, dicam tamen vel ideò vt rideatur*] Lego *videbitur*. Et Muretus. 125

pag. 334. c. XL. *Cum ſe plurimi diſertorum, ne à Publio quidem Scipione, aut Sylla, aut Gn. Pompeio abſtinuerint, & ad inceſſendos principes viros, vt eſt natura inuidiæ, populi quoq; hiſtriones auribus vterentur*] Lego *abſtinerent*. In reliquis ordo mutandus verborum: *vt eſt natura inuidiæ, hiſtriones quoq; populi auribus vterentur.* 126

Non de otioſâ & quietâ re loquimur &c.] Mur. alterâ voce addita, alterâ deletâ, ſic hęc legebat: *Non enim de otioſa & quieta re loquimur, & quæ probitate & modeſtiâ gaudeat: eſt magna iſta, & notabilis eloquentia* &c. 127

Comes ſeditionum, effrenati populi incitamentum] Lego *fomes*. Quòd probes, ſi ad ſequens verbum *incitamentum* reſpicias: at ſi ad ſuperius *alumna*, dubites, an non potius *comes*. 128

*Sed nec tanti reip. Gracchorū eloquentia fuit, vt pateretur & leges: nec bona formā eloquentiæ Cicero tali exitu penſauit. Sic quoq; q; ſupereſt antiquis oratoribus, *forū non emendare, nec vſquā ad votū compoſitæ ciuitatis argumentum eſt quidem, quòd nos nemo aduocat, niſi aut nocens aut miſer.*] Deprauatiſſimus locus, in quo tamen multi partes aliquot ſanarunt, aut ſanare voluerunt. vt Mur pro *formā eloquētia, famam* repoſuit: quod minimè neceſſe. melius Lipſ. deinceps: *forū non emendatæ, nec vſq; ad votum*. itidē ad finem ex Farneſiano libro, *argumentum eſt. Quis n. nos aduocat*. At nō ita in vniuerſum loco ſatisfactū eſt. Grauiora vulnera reſtant, quæ 129

nec ipsi tetigerunt. Quæ n. sententia vel in his, *Cicero ta i exitu pensauit*: vel in illis, *superest antiquis oratoribus?* Nos luxatum etiam hîc verborum ordinem videmus: quem traductione leui verum restituemus, & alia item leuiora emendabimus, vt totus locus sic legatur: *Nec antiquis oratorib. bona formam e, C. t. e, p, S. q. q. superest forum non emendata, nec vsquequaq; ad votum c. c. a. est. Quid enim? quod nemo nos aduocat* &c. Quid si tamen legas? *Nec antiquis oratorib. bona forma eloquentia* (scilicet tanti fuit) *quã Cicero tali exitu pensauit*. Quanquam integra sententia tale quid requirit: *vt quo Cicero, tali eam exitu pensarent.*

130 C. XLI. *Atqui melius fuisset non queri, quã indicari*] Benè Lips. legit, *vindicari*. Sed id non satis. Muret. optimè totum sic emendarat, *atqui m. f. non fieri, quam vindicari.*

131 *Quid n. opus est longis in Senatu sentẽtiis cum optimi citò consentiant?*] Integra & elegans hæc lectio: nec vel Rodolphus cũ suo, *cũ optima citò consentantur*: nec Lipsius, *cũ in optima*, audiendi.

132 pag. vlt. *Nec vobis summa illa laus & gloria in eloquentia, neq; illis modus & temperamentum defuisset*] Deest sine dubio tale quid: *neq; illis modus & temperamentum in certaminibus*, vel *turbis, defuisset*. Manifestò id requirũt sequentia: *nunc quoniam nemo eodem tempore assequi potest magnam famam, & magnam quietem, bonis saculi sui quisque citra obtrectationem alterius vtatur* &c.

FINIS.

LECTORI.

QVum forte fortuna ad manus nobis esset Acidalianarum in Curtium animaduersionum libellus, noluimus sanè has pagellas vacare. Obtulit enim se in iis statim locus ille optimis lectionibus vexatus de Ore famæ, vbi noster ad Tacitum se dicturum pollicetur. Verba ipsius ad l. vi. Curtii hæc:

pag. 142. *Vrbs erat ea tempestate clara Hecatompylos* &c. *Itaq; rumor otiosi militis viritim sine auctore percrebuit, regem* &c. *statuisse*]

Offendi iam olim vehementer ad vocẽ *viritim*, cuius insolens hic vsus, nec qui ferri posset, vt ego sentiebam. Itaque variè mutabam, nec ineptè quidquam: omnia tamen frustra, quando alia tandem scripta lectio reperta in Modii Sigebergensi bono sanè libro. Is pro ea *vitium* habet: insanè benè. Nec enim ferri modò potest, quod Modius ait, sed ferri vnà, & præferri omnibus debet ipsissima Curtii scriptura. *Rumor otiosi militis vitium*, verè. Sic lib. viii. idem *Otium serendis rumoribus natum* ait. Et huc trahas illud è Taciti Annal. xiv. ambiguæ adhuc lectionis: *Hæc more famæ, credentium otio augebantur*, quod eo modo noster hic ipse Modius in Nouantiquis censuit emẽdandum, cum vulgò scribatur: *Hæc in ore famæ credentium otia agebantur*. Sed de illo exspecta nos ad ipsum Tacitum suo propriè loco &c. [v. ad xiv. Annal. adnotationem lxxiii.]

Addamus & alia tria loca, quæ raptim peruolutatis illis Animaduersionibus se nobis obtulere quasi Tacito quoque obiter imputata.

pag. 70. ibid. *Biduo ibi statiua rex habuit, in proximum deinde pronuntiare iussit*] Omissa hic vocula, quam alii libri benè retinent: *in proximum deinde iter pronuntiare iussit*. Hæc necessaria: non illa, vt *diem* etiam addatur. Ea venustè supprimitur. l. VI. *Pronuntiare deinde iter in posterum iubet*. l. VIII, *Iam iter parare in posterum iussus*. In Tacito id quoq; crebrum, & magno Lipsio sedulò notatum.

Ad L. VII.

pag. 182. ib. *Proinde vt ad id reuertar, propter quod rei sumus*] Emendandum *prauertar*. Non redibat ad id, sed accedere iam primū volebat, quod esset potius. In hoc autem significatu receptum illud verbi. l. VI. *Ad verum crimen & ad vnum prauertendum mihi est*. Sic enim ibi rectè Modius, cum vulgo item *reuertendum*. Columellæ exemplum ille dat. vbiq; obuia plura: & habe tamen hîc etiam ista pauca. Tacit. Annal. II. *Sed prauerti ad Armenios instantior cura fuit*. Plin. l. V. ep. XV. *In infinitū epistolam extendam, si gaudio meo indulgeam. Prauertor ad ea quæ me agentē hic nuntius deprehendit*. Apul. Apolog. *Nunc tempus est ad epistolas Pudentillæ prauerti*.

Ad L. IX.

Vbi de Ministeriis nautarum, sollemni phrasi in hac re; ad verba Curtii pag. 289. ib. Subducere nautæ ceperunt: sed ministeria eorum &c.

Alii item *ministrandi* verbum velut propriū hîc vsurpant. Virgil. -*velisq; ministrant*. Tacitus German. *Nec velis ministrāt, nec remos in ordinem lateribus adiungunt*.

NOMEN-

NOMENCLATOR AVCTORVM VETERVM,

qui in Notis Acidalii citantur, & partim illustrantur atq; emendantur.

Numeros & litteras singularias sic cape. scilicet significari per

a, Annales
b, Historias
G, *Germaniam*
A, *vitam Agricolæ*
O, *de Oratorib. dialogum.*

numerum priorem, quotus Annalium vel Historiarum liber:
posteriorē, ipsam Acidalii in singulos Taciti libros adnotationem.

INDEX
VERBORVM ET DICTIONVM notabilium.

Siglæ & numeri intelligendi, vt in præcedenti auctorum Indice.

A

B

magnus

FINIS.

LECTORI.

PAg.57. v.3. vox *versuta* ex voto auctoris non expressa. quibus pingeretur litterarum formulæ non ad manus erant. vt plane autem scias, tres priores litteræ *ver*, transcriptæ erant singulæ lineolis, obliquo ductu. Sed hoc leue illud grauius quod forte aduertimus pag. 153. v.8. illa; *adulationem & ambitionem deprehendens*, non esse Taciti verbis l. 1. annexa. erant tamen lineis subducta, vt diuerso charactere ita imprimerentur. Si auctoris sunt, facile quiuis, licet amanuensis errore vitiatis, ipsius mentem inde coniiciat. Id quod te non monere noluimus. Vale.

